Staatl. Bibliothek
Regensburg

Hist. Eccl. 380

Ad Usum

J.

Bartholomæi Leuss

S. Ord. Hᵉ Prædm.

Conventûs Ratisbonensis

1717 & 9.

Constat in altos

ij.

Compactura

C

DE ILLUSTRISSIMIS VIRIS

PP.

PETRO MARTYRE SANSIO

Episcopo Mauricastrensi,

ET

FRANCISCO SERRANO

Electo Episcopo Tipasitanorum,

Deque PP.

JOHANNE ALCOBERO, JOACHIMO ROYO,

ET

FRANCISCO DIAZIO

ORDINIS PRÆDICATORUM

Fo-chei in Fo-kiena Sinarum Provincia Martyrio perfunctis

COMMENTARIUS.

ROMÆ MDCCLIII.

TYPIS HIERONYMI MAINARDI.

SUPERIORUM FACULTATE.

Staatl. Bibliothek
Regensburg

In Dei Filio ſibi Dilectis Patribus, Fratribus, ac Sororibus Ordinis FF. Prædicatorum

FR. ANTONINUS BREMOND

Sacræ Theologiæ Profeſſor,

Ejuſdemque Ordinis univerſi humilis Magiſter Generalis, & Servus

Salutem, & ſtudium propagandæ Religionis.

CUm crebris nunciis, litteriſque graviſſimorum Virorum de Petro Martyre Sanſio Epiſcopo Mauricaſtrenſi, ſocii-ſque Dominicanis in Fo-kiena Sinarum Provincia Chriſtiani nominis cauſſa aut gladio percuſſis, aut vi calcis, laqueove necatis intellectum eſſet, eaque de re

BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus, semel atque iterum orationem ad Senatum S. R. E. Cardinalium habuisset, nostro quidem muneri satisfacturi, binas ad vos epistolas dedimus, quibus non solum quæ fortissimi Martyres supremo præsertim vitæ tempore strenue, præclareque gesserant, complexi; sed vos etiam majorem in modum hortati sumus, ut eorum, quos instituti socios habuissetis, virtutem animi, studiumque tuendæ, amplificandæque religionis imitaremini. Sed quoniam nobis tam brevibus litteris indicare vix, describere autem vel minimam partem incommodorum, quæ illi perpessi essent, ne vix quidem licuerat, curandum continuo judicavimus, ut de vita, certaminibus, triumphisque eorum italica lingua commentarii perscriberentur. Quem sane commen-

mentariorum librum, ut diligenter, accurateque perſcriptus, nobiſque jubentibus una cum Alloquutionibus BENEDICTI XIV. Pont. Max., cumque noſtris litteris publicatus fuit, quum ſumma omnium voluntate exceptum comperiſſemus, proſpexiſſemuſque, ſi translatus in eam linguam fuiſſet, quæ a pleriſque veſtrum intelligeretur, maximo vobis uſui, utilitatique futurum, latinum fieri, vulgarique voluimus, ne qua in re veſtris commodis defuiſſe videremur. Atque is quidem ipſe eſt liber, quem vobis hoc volumine exhibemus, teſtem erga Martyres pietatis, & curæ, ſollicitudiniſque erga vos noſtræ. Addidimus autem huic litteras ab eodem Pontifice incredibili gravitate, ſingularibuſque benevolentiæ ſignificationibus his pauciſ menſibus ad Philippinenſes no-

noſtros ſcriptas, propterea quod nihil eſſe prætermittendum arbitraremur, quod ad decus, amplitudinemque Ordinis pertineret. Cumque alter Commentarius de moribus, fortitudineque Franciſci Gilii de Federich, & Matthæi Alonſi Lezinianæ Dominicanorum, qui in Tunquinenſi Regno martyrio perfuncti fuerant, ab ampliſſimo viro Hilario Ordinis Eremit. S. Auguſt. Epiſcopo Coricenſi, Vicarioque in eis regionibus Apoſtolico conſcriptus, curaque Deceſſoris noſtri editus Romæ ante annos ſeptem fuiſſet, eum item latinum factum poſtremo loco adjunximus, ſperantes fore, ut quo plures vobis propoſiti ad imitandum duces fuiſſent, eo magis ad virtutem colendam incitaremini. His igitur veluti monitoribus uſi, dum legentes dicta, factaque tantorum virorum, qui pro Chri-

ſto

sto ſumma cum ſui, veſtrique gloria pugnarunt, admiramini, id contendite, uti, neglectis perituris quibuſque rebus, ipſiuſque etiam mortalis vitæ amore contemto, inflammati ſtudio curandæ ſalutis, felicitatiſque hominum ſempiternæ, eorum eſſe videamini non magis inſtituti ſocietate, quam virtutis imitatione fratres. Valete Noſtri, Sociorumque memores in ſacrificiis, & precationibus veſtris.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sac. Palat. Apoſt.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Rever. P. Mag. Sac. Palat. Apoſt. Socius.

DE

PETRO MARTYRE SANSIO, SOCIISQUE MARTYRIBUS *COMMENTARIUS.*

De Dominicanorum in Sinarum Imperiũ adventu.

SInensium, quorum est amplissima in extrema Asiæ continenti regio, salus jam usque ab anno MDXVII. singulari Dominicanis curæ fuit, quo parati Francisci Peresii Andradæ operæ sunt, institutique ad eos commeatus. Itaque anno MDLVI Gaspar a Cruce Lusitanus Ordinis Prædicatorum eo primus

mus omnium importandæ religionis christianæ causſa contendit, uberioresque cepisſet laborum fructus, nisi veriti Mandarini, ne auctoritate, diligentiaque viri, deorum, quos colebant, superstitio deleretur, eum in carcerem conjiciendum, deindeque Imperii finibus exterminandum curasſent. Sed hoc tam contrario exitu rerum debilitari, frangique non potuit studium propagandæ religionis, & virtus Dominicanorum. Anno MDLXXXVII. P. Bartholommæus Lopesius una cum sociis ex eodem Ordine duobus Macai Cœnobium extrui fecit, ut cum inde brevior trajectus, tum facilis sacrorum christianorum introductio in Provincias Sinarum esſet. Anno MDXC. P. Johánnes a Castro Provinciæ Insularum Philippinarum Præfectus, & P. Michael Benavidesius, qui post Archiepiscopus Manilæ fuit, quum loqui sinice didicisſent, inquirendoque de incolarũ ejus regionis moribus cognosſent, duorum Sinensium ductu, quos ipsi ad religionis veræ cultum adduxerant, mysteriisque initiaverant christianorum, in urbes Sinensium penetrarunt, ac loqui statim de Christo cœperunt, inque institutis, decretisque nostris explicandis continenter, magna spe referendi fructus permoti, versati sunt, quoad apud Mandarinos accusati, diuque Hay-tengi in carcere asservati, posteaquam summa cum re-

religionis veræ laude, coram judicibus, palam ſeſe chriſtianos eſſe confeſſi ſunt, juſſi tandem fuerunt, ut inde exulatum abire ne cunctarentur. His extremo fere ſeculo decimo ſexto P. Didacus Aduartus, deindeque anno MDCXII. PP. Thomas Major, & Bartholommæus Martineſius ſucceſſerunt; cumque graviſſimis difficultatibus, quæ obſtabant, quo minus ſuſceptus a Dominicanis labor, ſucceſſus proſperos haberet, expugnari eorum conſtantia non potuiſſet, hoc demum PP. Angelus Cocchius Florentinus, & Johannes Baptiſta Moraleſius Hiſpanus annis MDCXXXI. & MDCXXXIII. obtinuerunt, ut in Fo-Kiena Provincia Prædicatores ſedem ſtabilem, certumque domicilium collocarent. Nec diu poſt, cum hoc Dominicani aſſidue eniterentur, ac laborarent, ut ethnici, quorum ingens erat in Provincia multitudo, a ſuperſtitione deterrerentur, eam ſibi ſocius quidam eorum gloriam comparavit, ut pro Chriſti Servatoris nomine extremo ſupplicio afficeretur.

II. Fuit is quidem P. Franciſcus Capillas primus Imperii Sinenſis Martyr, qui Fo-gani XVIII. Kalendas februarii an. MDCXLVIII. gladio percuſſus fuit. Eſt autem hujus, aliorumque ex eodem Ordine quatuor Martyrum, qui in finitimis regionibus veritatis tuendæ cauſſa interie-

P. Franciſcus Capillas O.P. primus in Sinenſi Imperio Martyr fuit.

runt, a BENEDICTO XIV P. M. in ea, quam ad Cardinales de rebus, quas descripturi mox sumus, habuit, oratione, cum laude facta mentio. Jam inde autem ab eo tempore Dominicani numquam ab instituendis Sinensibus, qui Provinciam incolebant, cessarunt, adeo ut non modo cum pax vigeret, sed etiam cum ethnicorum furore tempestates in Christianos concitarentur, etsi semper multis, magnisque incommodis premebantur, eos in vera, sanctaque doctrina confirmare pergerent. Atque in ea re agenda inter tot illustres viros insignem sunt aliqui gloriam consequuti, qui singulari constantia, fortitudineque animi maximas, christiani nominis caussa, perpessi fuerunt calamitates, quorum res strenue, præclareque gestæ plurimum ad christianæ reipublicæ utilitatem conferrent, nisi, quo minus indicentur, brevitas operis esset impedimento.

De Petro Martyre Sanfio Episcopo Mauricastrensi, deque Sociis Dominicanis, qui in Sinam contenderunt Evangelium promulgatum.

III. Postremis hisce temporibus, hoc est anno MDCCXLVI. diligentem operam amplificandæ in Provincia, in qua jampridem florere cœperat, christianæ religioni dabant vir illustrissimus P. Petrus Martyr Sanfius Episcopus Mauricastrensis, & Vicarius Apostolicus, P. Franciscus Serranus, qui post Episcopus est dictus Tipasitanorum, P. Joachimus Royus, P. Johannes Alcoberus, & P. Franciscus

Dia-

Diazius Hispani e Dominicanorum Sanctissimi Rosarii, quæ est in Insulis Philippinis, Provincia. Hi omnes missi a Præfecto Provinciæ impensa Regis Hispaniarum in Sinam fuerunt doctrinam Christi superstitiosis illis gentibus nunciatum.

Anni jam plures intercesserant, ex quo tempore, cum nullam intermissionem officii feciissent, in ea regione, quæ credita fidei eorum erat, orthodoxam religionem propagare cœperant, cum orta repente in christianos ethnicorum odio, malevolentiaque tempestas fuit, quæ illis attulit opportunitatem morte magna cum gloria coronandi vitam, quam in apostolicis laboribus sustinendis contriverant. Sed antequam res ab iisdem præclare gestas narrare aggrediamur, ratio ipsa hortari videtur, ut, commemoratione rerum, quæ propriæ cujusque eorum essent, lectores, quinam hi fuerint Christi Athletæ, intelligant.

Petri Martyris Episcopi Mauricastrensis elogium.

IV. Petrus Martyr Sansius, patre Andrea Sansio, & Catharina Jorda matre, Asci, quod est Tortosensis diœceseos oppidum, in Cataloniæ Principatu natus est. Cum mater in partu vehementer laborasset, periculumque, ne infans interiret, esset, mysteriis religionis christianæ initiatus in domo paterna fuit. Additæ post cæremoniæ in parochiali templo, ritusque, qui adjungi baptismo

conſuerunt, III. non. ſeptembres anno MDCLXXX. fuerunt. Patruus qui *Sacellarius* major, ut vocant, Cathedralis Eccleſiæ Ilerdenſis erat, vir pius inprimis, quocum in ea urbe degebat, cuique traditus fuerat in diſciplinam, id ſummopere curavit, ut recte Petrus adoleſcens inſtitueretur. Expletis iis generibus ſtudiorum, quibus prima ætas informari ad doctrinam, virtutemque ſolet, in Ilerdenſi Cœnobio Prædicatorum Ordini nomen dedit, Petruſque Martyr vocatus eſt, cum antea Petrus Joſephus appellaretur; cumque annum ipſum ſtudioſe in Conſtitutionum Ordinis, virtutiſque cultu tranſegiſſet, ſumma Patrum, ſociorumque voluntate, ſuam Deo *ſolemni*, ut dicimus, *profeſſione* obligavit fidem prid. non julias anno MDCXCVIII. Sed ubi XII. kalendas octobres anno MDCCIV. conſecratus Sacerdos eſt, illuſtriora, majoraque ſtudii ſalutis animarum, magnæque erga homines ceteros caritatis argumenta dedit, tuncque potiſſimum, cum anno MDCCVII. arctiſſima obſidione Ilerda teneretur, quo tempore neglectis laboribus, atque periculis, in quæ ſeſe adductum intuebatur, perſtitit in ſuſcepto munere conciliandi divino numini eos, qui *Sacramento pœnitentiæ* expiari peterent. Cumque facere in ea, quæ erga Deum eſt, pietate majores progreſ-

ſus

fus cuperet, contulit sese ad Cæsaraugustanum Cœnobium S. Ildephonsi, ubi legum Ordinis, atque institutionum cultus imprimis viget, quo in Cœnobio vocari sese divinitus intellexit ad Provinciam insularum Philippinarum, ut operam ethnicis ad Christum adducendis daret. Ubi ex Deo primum, adhibitis precibus, deindeque ex piis, doctisque viris, recte ne esset facturus, si relicta patria ad ethnicos abiisset, quæsivit; quod in animum induxerat, perfecit, ac Cæsaraugusta XII. kal. sext. anno MDCCXII. discessit. Cum Gades veniisset, correptus febri est. Vix ea se liberatum senserat, cum, etsi medicus sustineri ab eo itineris incommoda non posse diceret, tamen Deo, in quo spem suam omnem collocarat, duce, superatis difficultatibus, quæ impediebant, quo minus susceptum iter prosequeretur, navem statim, atque vela sunt data, conscendit. Initio januarii mensis anno MDCCXIII. ad Mexicum pervenit, nonisque martii Acapulcum maris pacifici portum tenuit, ubi rursum febri agitari cœpit. Sed quum debilitas corporis tanta non esset, ut eum a suscepto consilio moraretur, nonis aprilib. nactus opportunum ad navigandum tempus, iterum navigationi sese commisit, cumque nautas in magna rerum christianarum ignoratione versari comperis-

ſet, tam longo itinere, tempus omne in iis docendis, inſtituendiſque conſumpſit. Poſt, ubi III. idus junias Marianas, ſeu Latronum inſulas vidit, invectuſque eſt XII. kal. aug. in Philipp narum mare; extremo auguſto menſe Manilam, quæ urbs eſt earumdem Inſularum princeps, appulit. Peracto itinere, ut pedem in ædes Prædicatorum intulit, prima illius cogitatio, curaque fuit ad ſacellum, in quo imago Beatæ Virginis Roſarii collocata erat, adire, eamque venerari, cujus quidem aſpectu, ut idem ſcribere ſolebat, oblitus incommodorum omnium, quæ paſſus jam uſque ab eo tempore fuiſſet, quo Cæſarauguſta profectus Manilam venerat, novos ſibi datos fuiſſe ſpiritus ſenſit, quibus multo plura perpeti deinceps libenter poſſet. Biennium fere in Philippinis inſulis conſumſit, quo tempore cum loqui ſinice didiciſſet, eſt enim hoc genus linguæ inſulanis propter Sinenſium, qui ibidem verſantur, multitudinem notum, prid. idus junias an. MDCCXV ſocio P. Paulo Matthæu Cœnobii item Ilerdenſis alumno, in navim ethnicorum conſcendit, in Sinamque navigavit, ac III. kal. julias, qui dies SS. Petro, & Paulo Apoſtolis ſacer erat, ad Fo Kienæ Provinciæ Hia-muenum portum pervenit, paulloque poſt a Patribus Provinciæ Philippinarum renunciatus Sinen-

nenſium Prædicatorum Propræfectus fuit. Jam annus erat quartus ac decimus, ex quo ſummo commodo populi Sinenſis, Sediſque Apoſtolicæ voluntate propagare chriſtianam religionem in ea regione cœperat; hujus namque ſedis auctoritate conſtitutus erat *Vicarius Apoſtolicus* Fo-Kiẽæ Provinciæ; cũ an. MDCCXXIX. ſæva in chriſtianum nomen tempeſtas exorta eſt: cumque Petrus intellexiſſet, conquiri ſeſe ab hoſtibus ad necem, ac niſi fuga ſaluti ſuæ proſpexiſſet, ſpem evadendi nullam eſſe videret, Chriſti Servatoris conſilium ſequutus, qui, ſi inimici religionis nos infectentur, alio fugiendum dixit, Quan cheu-fu, quo in oppido ſolum, quod Europæ incolæ Cantonum vocant, Chriſtianis doctoribus impune agere licebat, contendit. Ibidem cum moraretur, rogatus, ac pene coactus a P. Archangelo Miralta Clerico Regulari graviſſimo viro, Sacræque Congregationis de Propaganda Fide Procuratore, qui juſſus ab eadem fuerat, ut P. Petro Martyri Sanſio, ne Diœceſano quidem certiore facto, imponi manus a quocumque Epiſcopo catholico curaret, die S. Matthiæ Apoſtolo ſacra an. MDCCXXX. ab Epiſcopo Nan-Kingenſi, adſiſtentibus Epiſcopis Pe Kingenſi, & Macaenſi, conſecratus Epiſcopus Mauricaſtrenſis fuit. Biennio poſt, nempe XV. kal ſeptem-

ptembres anno MDCCXXXII. una cum Doctoribus Christianis, qui ex Europa venerant, triginta sex coactus Cantono Macaum excedere exulatum, cum annos fere sex in eo exilio exegisset, quo tempore, quantum doctrina, virtuteque valeret, ostendit, tandem VII. idus majas anno MDCCXXXVIII. in Fo Kienũ revertit, quo illum studiũ confirmandæ, dilatandæque religionis, divinaque providentia quæ ipsi coronã martyrii decreverat, revocabãt.

Sinensibus, quos ad christiana sacra adduxerat, restitutus, quamquam ætatis flexu adversa valetudine laborare cœpisset, sese totum curandæ animarum saluti dedit, nullam rerum earum prætermittens, quas colere jam usque ab juventute aggressus fuerat Laneis perpetuo vestibus ita, ut præscriptum lege Dominicanis est, usus, continenter a carnium esu abstinuit ad annum fere quintum, vel sextum ante quam martyr decederet, quo tempore, ipsis ut vesceretur, morborum gravitate coactus est, moremque media quaque nocte surgendi, recitandique matutinas preces summa religione servavit. Cumque studiose curaret, nequa ab se intermissio officii fieret, numquam ab administrandis sacramentis cessavit, adeout an. MDCCXLII. etsi vomitu sanguinis premebatur, corporeque infirmo erat, tamen a suscepta institutione numquam desisteret.

Qua-

Quare cum litteras a P. Royo accepiſſet, quibus ſignificabatur, ceſſandum a labore eſſe, quoad ſanitatem recuperaſſet, ſe namque illius loco, ut res quæque recte adminiſtrarentur, diligentiſſime curaturum, ita reſpondit: hoc certe & ago, & agam, tametſi mihi eſſet ob laborem ejuſmodi moriundum. Itaque una mors finem ipſi laborum attulit.

De Franciſco Serrano electo Epiſcopo Tipaſitanorũ.

V. Franciſcus Serranus Franciſco Serrano, & Maria Friaſia honeſtis parentibus Guenexæ vico Guadicenſis in Granatenſi Regno diœceſis natus, myſteriiſque religionis chriſtianæ an. MDCXCV. prid. nonas decembres initiatus eſt. Exactis ſub parentum cura pueritiæ annis, in Regio Granatenſi S. Crucis Cœnobio indutus veſtibus Prædicatorum eſt, opportunoque tempore ita, ut inſtituta Ordinis poſtulant, X. kal. majas an. MDCCXIV cum annum nonum ac decimum ætatis ageret, ſuam Deo obſtringens fidem, promiſit ſeſe dicto audientem, caſtum, ac pauperem perpetuo futurum. Eluxere continuo in adoleſcente virtutes, quibus illius erat ornatus animus, omneſque in eo liberale ingenium, morum candorem, contemtum ſui, pacem, modeſtiam, patientiam, inque rebus quibuſque gerendis honeſtatem, & gravitatem admirabantur; adeo ut multi illius æquales, qui adhuc vivunt, non ſolum abhorruiſſe virum ab eo

genere colloquiorum,quibus ejuſdem integritas , caſtitaſque capere nonnihil detrimenti poſſet,ſed etiam caviſſe, ne quod ab ſe mendacium diceretur,ferant His animi ornamentis ſtudium adjunxit litterarum. Quo in genere adeo profecit , ut onus ipſi explicandæ in cœnobio Granatenſi Philoſophiæ imponeretur. Igitur cum exercitatione virtutis,doctrinaque ita eſſet inſtitutus,inProvincam inſularumPhilippinarum cum aliis dominicanis Doctoribus , quos *miſſionarios* dicimus , an. MDCCXXV. contendit . Ubi in eas inſulas venit , haud diu poſt a Præfecto Provinciæ Dominicanorum miſſus in Sinam eſt an ,ut conjectura aſſequi poſſumus,MDCCXXVII. propterea quod idem,cum an.MDCCXLVII. de turbis in ſe, ſocios, chriſtianoſque omnes ab ethnicis concitatis commentarium ſcriberet , teſtatus ſit , annum eſſe vigeſimum, ex quo ipſe in eam regionem pervenerat . In fungendo munere pleno laborum , variis ægrotationibus corporis occupatus , exagitatuſque fuit : ac licet inde , cum deſignatus jam Martyr eſſet , argumentum duceret contemnendi ſui , diceretque parum ſe adjumenti afferre ſuis ſociis , ac fratribus potuiſſe , propterea quod rogare etiam atque etiam , ſibi ut ignoſcere ne gravarentur , quod adverſa valetudine fere ſemper conflictatus eſſet ; certa tamen res eſt , his tam gravibus incom-

commodis ignem caritatis, quo vehementer flagrabat, numquam deferbuisse. Nam is, quemadmodum viri graves memoriæ tradiderunt, apostolicis laboribus ita affici consueverat, ut nulla res esset, quæ ipsum deterrere ab iisdem obeundis posset. Immo vero uti laboribus solebat, ut suæ voluntati juvandi omnes, quibuscumque rebus poterat, satisfaceret. Interdum cum portas oppidorum, in quæ se noctu conferebat, clausas inveniret, viamque introeundi, administrandique sacra impeditam cerneret, ascendens in ea introducebatur, arrepto funiculo, quod ei e muro oppidani Christi sectatores demittebant. Quin etiam incluſus quandoque sacco, deferri sese uti vendibilem suem curabat, quoad ipsi in Christianorum ædes ingredi, suoque munere fungi licuisset. Demitti præterea sese aliquando in humidum putei fecit, quo in loco die ipso asseribus contectus, ut hostium impetum declinaret, mansit. Excedere item die quodam ex armario, in quod ipsum Christiani abdere cogitabant, atque in montem profugere, inque sepulcro, ut satellitum sese quærentium diligentiam eluderet, latere coactus est. Ita sibi Serranus viam ad martyrium, quod deinceps subiturus erat, munivit.

VI. Joachimus Royus Hinojosæ Tervelensis Diœcesis oppido in Aragonia, Joa. De Joachimo Royo.

Joachimo Royo, & Mariana Pereſia honeſtis parentibus ortus, & baptiſmi ſacris V. nonas octobres an. MDCXCI. initiatus eſt. Vix annum tertium, ac decimum ætatis attigerat, cum animum ad ſtudium latini ſermonis appulit, teſteque magiſtro, ipſis quatuor annis præclara indicia diligentiæ, morumque innocentiæ dedit. Profectus inde Valentiam, ut ſeſe inſtituto devoveret Prædicatorum, cooptatus in ordinem eſt IX. kal. apriles anno MDCCIX. in Cœnobio, quod a columna *del Pilare* vocant. Sed cum is locus deſtinatus inſtituendis novitiis non eſſet, in alterum ejuſdem urbis, quod prædicatorum dicitur, mores ſuos Ordini probaturus conceſſit. Anno autem ipſo in ædibus novitiorum tanta ſociorum, Patrumque voluntate, admirationeque verſatus eſt, ut eum omnes unum maximi facerent, neque ſolum, quod ſæpe uſuvenit, ſtato tempore profiteri eum noſtrum inſtitutum paterentur, ſed etiam ſummopere vellent, quodque ſingulare fuit, in numerum alumnorum ejus Cœnobii, quod jure ſanctorum ſeminarium appellare licet, referrent. Ac Præfectus quidem, qui ejus rei auctor fuerat, quaſi divinaret, erit, inquit, is adoleſcens huic familiæ gemmarum ſertum. Ubi Royus ſe Deo ſolemni ritu devovit VIII. kal. apriles an. MDCCX. promiſitque operam ſe colendæ virtuti di-

li-

ligenter daturum, tam magnos in eo genere progressus fecit, ut vir gravissimus, quo usus aliquando magistro fuerat, quique etiam num vivit, testetur, modestia eum singulari fuisse, nihilque se umquam in ejus vita animadvertisse, quod reprehendendum videretur. Jam usque autem ab eo tempore permotus misericordia in eos qui duriore fortuna conflictabantur, siquid sociis superfuisset ciborum, studiose colligendum putabat, ut egentibus distribueretur ab his, quibus id onus more, atque instituto majorum, Præfectus Cœnobio imposuisset. Quinetiam quum de iis interdum ex magistro intellexisset, qui in superstitione inanium deorum versabantur, tantum in eo continuo traducendorum ad christianam religionem ethnicorum studium exstitit, ut quamvis acerba esset ætate, conscribi se tamen, annumerarique voluerit his, qui brevi propagandæ religionis veræ caussa in Philippinas insulas navigare constituissent. Dumque opportunum tempus opperiretur, diuturnis precibus sese, severiorisque vitæ cultu ad præclarum munus recte obeundum comparavit. Postremo Gadibus XV. kal. octobr. an. MDCCXII. una cum sociis navim conscendit, cumque V. non. decembres ad portum veræ Crucis appulisset, Angelopolim profectus est, ubi eodem mense Hypodiaconus ordinatus fuit.

De-

Denique ad Philippinas pervenit, ibique cum haud longo tempore constitisset, eaque brevi didicisset, quæ ad rem bene gerendam pertinerent, non enim illi opus diuturno tempore erat, qui tam vehementi propagandi Evangelii studio ducebatur, in Sinam est missus, etsi annos non amplius, quam tres ac viginti, natus esset. Uberes autem laborum fructus P. Joachimum Royum tulisse triginta trium annorum intervallo, quod in Sinensibus instituendis consumsit, multisque incommodis fuisse perfunctum, facile est existimare. Sed horum vix pauca in nostram notitiam venerunt. Hoc scimus: an. MDCCXIX. cum maxime in christianos ethnici furerent, Royum dies amplius septuaginta nullo certo loco consistentem, hac illac errare compulsum esse, ut hostium diligentiam, artesque deluderet, quin perfugia magnum homini solatium afferre possent. Nam quum in cubiculum quodpiam sese aliquando abdidisset, coactus triduo est ad id latus, ad quod se primum aptarat, manere, quin ei potestas situs corporis immutandi esset. Nec vero describere accurate possumus quibus ille angoribus, terroribus, incommodis sæpe alias cum in Fo-Kiena, tum in Kiang-sya, & Che-Kiangia Provinciis affectus fuerit (in his enim curam aliquando Christianorum, qui ad Philippinen-

nenſes Dominicanos pertinebant, geſſit) ſatis tamen id eſſe, quod hactenus eſt indicatum, putamus, ut, quamvis minus quam res ipſa poſtulat, aliquo tamen modo, qui amor Royi erga homines ceteros, quæque in adverſis rebus æquo animo perferendis patientia fuerit, intelligatur.

De Johanne Alcobero.

VII. Johannes Alcoberus Granatæ VIII. kal. januar. an. MDCXCIV. Franciſco Alcobero Belmonte in Aragoniæ, & Vincentia Figueraſia Ontinienti in Regno Valentiæ honeſto loco ortus parentibus, natus eſt. Is cum tenera adhuc ætate eſſet, nondum enim ſextum ac decimum annum attigerat, inſtitutum Prædicatorum in Granatenſi Sanctæ Crucis cœnobio amplexus eſt, in eoque VIII. kal. januar. an. MDCCX. more, atque inſtituto majorum, ſuam Deo obligavit fidem, promittens ſeſe perpetuo ſtatuta Ordinis ſervaturum. Poſt iis generibus ſtudiorum, quibus informari, inſtituique noſtri ſolent, annis octo diligentem operam navavit, quibus exactis, miſſus a Præfecto Provinciæ ad cœnobium Sancti Dominici Lorcam fuit. Quo in loco, quum de rebus divinis, deque recte inſtituendis moribus orationes ad populum haberet, magno plauſu auditus eſt, imprimis quod eorum more, quos *Miſſionarios* appellamus, diceret. Atque invaluit

luit in cœnobio, de quo ſupra demonſtratum eſt, fama, quæ ferret, Alcoberum, cum publice de religionis chriſtianæ decretis, deque præceptis evangelicis ageret, inſtinctu quodam ſuperiore ita, fuiſſe commotum, ut ſuſpirare ipſe, lacrimari, gemere (quin cœptam orationem abſolvere valeret) auditoreſque idipſum facere cogerentur. Jam uſque autem ab eo temporis momento novos ſpiritus ad pie, ſanctequæ vivendum ſumſiſſe, ſeque majorem in modum collegiſſe, ut ſuæ ſaluti proſpiceret, viſus eſt, quoad divinæ voluntati obſequutus, an. MDCCXXV. una cum ceteris, qui propagandi Evangelii cauſſa patriam deſerere conſtituerant, in Provinciam eſt profectus Philippinarum. Tres ille annos cum in itinere, tum in iis addiſcendis rebus conſumſit, quæ ad ſuſceptum munus recte obeundum conferrent. Namque an. MDCCXXVIII. a Præfecto Provinciæ miſſus in Sinam eſt Evangelium promulgatum. Annis decem, & octo, quibus ille magna cum laude, antequam in carcerem conjiceretur, decreta religionis chriſtianæ Sinenſes docuit, multis laboribus, incommodiſque perfunctus eſt. Cumque incenſus eſſet incredibili ſtudio juvandi, quibuſcumque rebus valeret, eos, qui ſua opera egebant; accidiſſetque forte fortuna aliquando, ut idipſum ſine magno periculo perfice-

ficere nequiret, in ſellam ſe, quæ feretri inſtar eſſet, immitti, deferrique a quatuor viris in locum, quem præſtituiſſet, quaſi adverſa valetudine laboraret, fecit. Erat Alcoberus maxime corpulentus, tantumque ob anguſtias feretri detrimenti cepit, ut in ardentem febrim inciderit; ſed paullo poſt voluntate Dei, cujus quidem cauſſa nihil horum curabat, ſanitatem, roburque, quo ante pollebat, corporis recuperavit. Anno MDCCXXIX. cum ethnici chriſtianæ religioni bellum intuliſſent, poſtquam ille, ut fugeret, e muris deſilire, inque vias ſeſe incognitas dare coactus eſſet, uno uti perfugio cubiculi potuit, quod carcere ipſo anguſtius erat, in quo clauſus diebus novem ſupra quadraginta fuit, quin tuſſire, ſeſeque movere auderet. Poſt ubi in eas ædes ſatellites invaſerunt, compingi ſe ab chriſtianis in reconditum ejuſdem cubiculi locum ſivit, qui locus adeo arctus erat, ut vix corpus hominis pingue caperet. Ut clauſus ibidem eſt, cum reſpirare difficulter poſſet, tanto angore premi cœpit, ut membrorum motu privaretur, neque inde educi, niſi aliorum manibus tractus, poſſet. Sequuta febris mox eſt, quæ virum, qui nihil ante horas triginta guſtarat, inſigniter extenuavit. Nec vero hic finis fuit incommodorum, quod ipſi, hoſtibus, qui illum quærebant,

ſecundo ingreſſis domum, clam inde ſervi veſte indutus excedere, ſeſeque horas fere octo in loco ad exonerandum ventrem accommodato continere neceſſe fuerit, donec beneficio noctis egredi potuit, ut obviam periculis, & calamitatibus novis iret. His talibus, tantiſque rebus geſtis, quas magnam partem ignoramus, nobilis Chriſti miles illuſtris erat, quo tempore in carcerem eſt contruſus.

De Franciſco Diazio.

VIII. Franciſcus Diazius, de quo poſtremo eſt loco dicendum, Ecijæ, quæ urbs eſt Provinciæ Bæticæ, VI. nonas octobr. an MDCCXIII. Johanne Diazio Fernandeſio nobili viro in vico Dicœceſeos Burgi nato, & Iſabella Maria Rioſia Ecijenſi, tenui fortuna parentibus ortus, operam primis rudimentis litterarum, quibus inſtitui ſolent adoleſcentes, in ejus urbis cœnobio ad SS Pauli & Dominici, accuratam dedit. Quo ex tempore, quam eſſet modeſtus, taciturnus, demiſſo per virtutem animo, inque ſacris conventibus, myſteriiſque pœnitentiæ, euchariſtiæque frequentandis diligens, oſtendit. III. idus ſeptembres anno MDCCXXX. ſingulari colendæ virtutis deſiderio incenſus, veſtibus eſt indutus Dominicanorum, annoque poſt pridie idus ſeptembres ſolemni ritu pollicitus Deo eſt, ſe dum vixiſſet, leges, atque iuſtituta Ordinis ob-

obſervaturum . Sed Deus ipſe , qui diverſas iis , quos elegerit , munit ad eamdem felicitatem conſequendam vias , quaſi experiri cœpiſſet , quantum virtute novitius Prædicator poſſet , debilem ejus corporis temperationem , tenuemque valetudinem reddidit, permiſitque,ut perpetuo epiphora oculorum conflictaretur . Quæ res cum impediret , ne magnos progreſſus in ſublimioribus ſtudiis litterarum faceret , tum ſpatium eidem dedit , ut animum ad eam , quæ eſt de moribus , Theologiæ partem appelleret . Sed etſi hiſce incommodis valetudinis premebatur , iis tamen virtutibus ornatus erat , quibus jam uſque a primis ætatis annis præſtiterat , quibuſque addidit ſummum ſtudium ſervandi leges , atque inſtituta Prædicatorum . Poſt cum ex hiſtoria de Provincia Philippinarum intellexiſſet , paravit ſeſe diuturnis precibus , caſtigationeque corporis ad id munus, ad quod obeundum adlectum ſe divinitus eſſe cognorat,annoque MDCCXXXV. in eas inſulas navigavit, & quæ de ipſo divina providentia decrerat , fecit . Artibus variis , precibuſque matris , atque ſororum , quibus eum a ſuſcepto conſilio deterrere ſtudebant , novus Jeſu Chriſti miles conſtantiſſime ſemper reſtitit , Deum , qui ipſum vocaret , unam eſſe affirmans ſuæ ſententiæ cauſſam , iiſque tandem , quas plurimum di-

ligebat, rogatis, ut apud ſe mortuum ipſum eſſe ſtatuerent, neque vero iis ſolum, ſed etiam amicis, ſociiſque Prædicatoribus valere juſſis, diſceſſit. Sed Deus, qui ei jam uſque a teneris annis voluntatem amittendæ pro religione tuenda vitæ indiderat, ſpiritus quoque adjunxerat, quibus obſtacula ſuperaret, quæ ex infirma corporis valetudine, amoreque in matrem, conſanguineoſque ceteros proficiſcebantur. Poſt interitum viri, cum Ecijæ fama de ipſius martyrio percrebuiſſet, intellectum primum ex patre, qui etiam num vita fruitur, eſt, quibus ei divina miſericordia modis, auxiliiſque præverterit. Namque ut certior eſt factus a Præfecto cœnobio ſenex, quam gnatus gloriam conſequutus eſſet, eamque ob rem gratias Deo, quas potuit, maximas egit, contineri non potuit, quin diceret: adoleſcentem Diazium, cum annos natus duodecim eſſet, rogatum a parentibus fuiſſe, ut in patriam, reverſus *beneficio eccleſiaſtico*, ſic enim dicimus, quod ad ſe majorum ſtatuto pertineret; undeque plurimum lucri poſſet capere, potiretur. Hortanti autem ſæpe, ac multum patri, ſic denique juvenem reſpondiſſe: „ Deſine me rogare, mi „ pater. Non enim opes, reſque eas, „ quæ pereant, volo, atque expeto, ſed „ Deo in Ordine Dominicanorum ſervi-

„ re,

„ re & cupio, & vero ei, cum per æta-
„ tem licuerit, nomen dabo. Poſt Præ-
„ dicatoribus, qui primi in inſulas Phi-
„ lippinas Evangelii promulgandi cauſſa
„ navigare decreverint, me ſocium addam,
„ inque eas regiones contendens, ſangui-
„ nem pro Chriſto Servatore fundam „.
Quid rerum in Sina geſſerit, quoſque la-
bores pertulerit, ut ſuo munere ſatisface-
ret, ignotum hactenus nobis eſt. Id unum
ab Serrano accepimus, octo ipſos annos
eum magna cum ſui gloria, antequam ve-
niret in hoſtium poteſtatem, laboraſſe, ut
ſaluti Sinenſibus eſſe poſſet. Quare cre-
dibile eſt, gratiſſimas Deo ejus vigilias,
curaſque fuiſſe, qui ſumma ſua voluntate,
atque præſidio fecit, ut quem deſiderio
ad martyrium præparaverat, is tam feli-
cem exitum haberet.

Initium turbarum adverſus Chriſtianos Fo-Kienæ Provinciæ.

IX. Tempeſtatis, quæ coorta in chri-
ſtianos eſt, ac Sinæ fortiſſimos religionis
chriſtianæ propagatores ademit, cælo-
que, quod pie credimus, reddidit, non
alia, quam invidia ethnici mali, omni-
buſque inviſi hominis, cauſſa fuit, qui
Mo-yangi natus, Yin-ku ab incolis ap-
pellabatur. Is cum ſeſe in Prætoris ami-
citiam, familiaritatemque inſinuaſſet, ab
eoque, quacumque de re ageretur, ad con-
ſilium adhiberi conſueviſſet, uſus hac
tanta conſuetudine eſt, ut, quæ molitus
adverſus Chriſtianos fuiſſet, perficeret.

Itaque Prætorem non ſolum eorum, , qui Chriſtum colerent, ſed etiam Europæorum, qui in Sinam dilatandæ religionis cauſſa veniſſent, ac mulierum, quæ cooptatæ fuiſſent in Ordinem Sancti Dominici tertium, ædiumque, in quibus degerent, certiorem fecit. Atque hanc unam laborum, incommodorumque fuiſſe cauſſam, quæ Chriſtiani Sinenſes perpeſsi his annis paucis fuerunt, non ex commentariis modo, quos Epiſcopus Tipaſitanus, quem nos imprimis auctorem ſequimur, cum anguſtiis carcerum teneretur, ſcripſit, ſed ex epiſtolis etiam cognoſcitur virorum Eccleſiaſticorum, qui cum diverſam inſtitutionem vitæ, diverſoſque Ordines profiterentur, tum ſocii laborum, calamitatumque fuerunt. Anno MDCCXLVI. initio aprilis menſis, Præfectus Fo-ningæ urbi de granariis publicis cogniturus Fo-ganum venit. Prætor, de quo ſupra demonſtratum eſt, nactum ſe opportunitatem chriſtianæ religionis delendæ ratus, quæ ab ſcelerato Yin-kuo didicerat, explicavit. Etſi Præfectus nullum tunc in Chriſtianos odii, iræve indicium dederat, tamen ubi Foningam revertit, litteras ad Fo kienum Pro-Regem miſit, quibus vehementes, graveſque in Sinenſes, Europæoſque chriſtianos accuſationes continebantur. Cheu-Hio-Kienus, id namque erat Pro-Regi no-

nomen, vir christianæ legi infestus, atque inimicus, qui nihil eorum prætermisit, quæ impellere Imperatorem ad eamdem tollendam possent, accepta libenter accusatione, continuo Hoang-Chung-Yeo Prætorianorum tribuno jussit, ut cum manu militum, quos usui esse putaret, Fo-ganum Europæos christianos, virgineſque cooptatas in ordinem tertium Dominicanorum comprehensurus proficiscceretur. Tribunus vir insigni crudelitate, hora post meridiem VII. kal. julias Fo ganum pervenit, horisque duabus post, centum militum *Mandarinis* (est id apud Sinenses Magistratuum nomen) Fo ganensibus, aliisque attribuit, qui Mo yangum, quod oppidum millia passuum novem Fo-gano distat, conducerent: ipse interea cum militibus item centum in Koan pum suburbium, ut Chin-Josephi optimi viri ædes improviso adoriretur, contendit, quibus in ædibus reconditum sacellum nostrorum Sacerdotum erat, in quo caute imprimis christiani, ut sacris interessent, veniam peterent, eamque sancte, quæ erga Deum esset, pietatem colerent, congregabantur. Sed quoniam ante dies quinque PP. Serranus, & Diazius Ki-tungum abierant, nostrorum ibi neminem offendit, quare diripi domum, ac libros, sacramque supellectilem, & quidquid rerum inventum esset,

ſet, alio aſportari, ac Chin Thereſiam-Te-virginem, quæ iiſdem in ædibus degebat, vicinamque Chin-Roſam-Kuey, & Claram Joſephi chriſtiani uxorem, hujuſque adoleſcentulam filiam Agnetem in carcerem duci imperavit. His rebus geſtis, e veſtigio Ki-tungum, quod millia paſsuum tria Fo-gano abeſt, Serranum, Diaziumque oppreſſurus, diſceſſit.

PP. Serranus, & Diazius de militum adventu certiores fiunt. Ethnici Sinenſes Chriſtianos aggrediuntur, multaque in eos exempla ſævitiæ edunt.

X. Jam ante horæ quadrantem a Carolo viro quodam chriſtiano de adventu militum intellexerant, ſatiſque ſpatii nacti fuerant, ut commode ſeſe ſub cubiculi tabulatum reconditum in locum abderent. Ubi tribunus ad ædes venit, fores effringi, ſediliaque muralia dirui, ac dolia, capſaſque perrumpi juſſit, ut latebras inveniret Dominicanorum, quorum cauſſa iter ſuſceperat. Sed Deus a quo ita ſunt definita tempora, ut præverti, accelerarique hominum ſcelere non poſſint, etſi milites quater per tabulatum, quod miniſtros Servatoris Chriſti occultabat, inambulaſſent, noluit, ut latentes detegerent. Quare furentes domum diripuerunt, ac Roſam Chingiam virginem, quæ iiſdem in ædibus habitabat, atque honeſtam, illuſtrique loco natam viduam Mariam-Kyam, cujus illæ propriæ ædes erant, ſecum abduxerunt. Quo tempore Jacobus Nienus Mariæ, de qua modo demonſtratum eſt, filius, quaſi prodigio quodam, fer-

ſervatus, ſeſe furori militum ſubduxit. Finem injuriis nox attulit, pauciſque poſt horis datum Serrano, Diazioque ſpatium in proximas Franciſci-Lani viri chriſtiani ædes migrandi fuit, quibus in ædibus ad eum uſque diem latuerunt, quo venerunt in hoſtium poteſtatem.

XI. Jam inde ab ea nocte crudeliſſime in chriſtianos ſæviri cœptum. Tribunus Prætorianorum, qui Europæos invenire cuperet, mulieres, quas ſupra captas a militibus fuiſſe dictum eſt, excepta Agnete, tormento manuum cruciari, ut locum manifeſtarent, in quem illi profugiſſent, juſſit. Cumque veſtes, quæ adhiberi in re divina faciunda a chriſtianis ſolent, in eorum domibus repertæ indicio ſatis magno eſſent, cognoſſe ipſas, ubinam Chriſti Sacerdotes degerent; hoc interrogantibus reſpondebant: fugiſſe Europæos certo ſe ſcire; quo autem fugiſſent, neſcire. Cumque ex Agnete de rebus iiſdem quæſiſſent, Europæos, illa, quinto jam die Ki-tungum abiiſſe; utque nemini damnum inferret, rogata, ecquis veſtes eorum, ac vaſa ſacra detuliſſet, juvenem raſo capite, bajulum, cujus ipſa nomen ignoraret, dixit: Hoc reſponſo accepto, miſſi continuo milites fuerunt, qui eum quærerent. Hi primum omnium, in quem Ki-tungi inciderant raſo capite juvenem, comprehendunt, & quamquam

Ethnici in Chriſtianos Ki-tungenſes ſæviunt, tormentoque talorum juvenem Idolorū cultorem excruciant, quaſi Chriſtianis partibus ſtuderet.

eſſet

eſſet imbutus ſuperſtitione deorum, eiſque, id quod res erat, nihil ſe de Europæis noſſe confirmaret; tamen tormentis ad talos pedum adhibitis, victum dolore, cum ſuſtinere diutius non poſſet, factum ab ſe, quod numquam fecerat, fuiſſe confiteri cogunt, ac Fo-cheum, quaſi reus eſſet, in carcerem abducunt.

Vuang-Petrus-On, qui Mo-yangum, nũciatũ Chriſtianis militum adventum, contenderat, ab Ethnicis capitur, & cruciatur.

XII. Dum hæc Ki-tungi geruntur, ac de Chriſtianis quæſtio crudeliſſime habetur, milites, quos Mandarinis Fo ganenſibus attributos fuiſſe diximus, eodem die improviſo Mo-yangum perveniunt. Nam Vuang-Petrus-On Chriſtianus, qui ante, quæ parabantur, animadverterat, & una cum Lieu Franciſco Xuno Fo-ganum, noſtros malorum, quæ impenderent, certiores facturus, diſceſſerat; cum medium iter emenſus eſſet, una cum ſocio a militibus oppreſſus, Fo ganumque in carcerem adductus fuerat. Is idem, ſociuſque, quum vim cruciatus ferre nequiviſſent, confirmarant ſe quidem Fo-gano profectos iter Mo-yangum inſtituiſſe, chriſtianis, quod imminebat, periculum nunciaturos.

Milites in ædes Margentii Chriſtiani irrumpunt, Epiſcopumq. Sanſium quæritant; ac Margentiũ, ejuſ-

XIII. Cum milites ingreſſi Mo-yangum fuiſſent, in Mien-Johannem adoleſcentem, quem *Chriſtianis* partibus ſtudere ignorabant, inciderunt, cumque ei imperaviſſent, ut ſibi Lang Kuoni, hoc eſt Margentii ædes, in quas Sanſius Epi-

ſco-

ſcopus perfugerat, commonſtraret, ille, ut eos tantiſper detineret, Epiſcopoque ſpatium evadendi daret, eoſdem in alterius cujuſdam chriſtiani domum, quæ inde aliquanto aberat, deduxit. Poſt in ædes Margentii venerunt, in eiſque neminem offenderunt Europæorum, propterea quod domi eſſent Margentio duæ, atque ille quidem in vetere, in nova vero Epiſcopus degebat. Dum eum milites, deluſi, ubi non erat, quæritabant, ſurgere Epiſcopus e lecto, ac tranſilire horti murum, inque ædes Mieu Joſephi profugere potuit. Abeundum jam inde milites putabant, quod fruſtra ab ſe laboratum vidiſſent, cum nunciatum eis, ubi ad fores acceſſerunt, ab ethnico quodam eſt, Europæum, cujus cauſſa illuc veniſſent, non in vetere, ſed in nova Margentii domo agere. Quod ubi intellexerunt, in novas ædes ſtatim irrupere, rebuſque omnibus, in quas forte fortuna incidiſſent, everſis, atque perruptis, veſtes ſacras, reliquamque Epiſcopi ſupellectilem invenerunt, & calorem, quem experti, tangendo lectulum, fuerant, ſatis magno eſſe argumento putarunt, ut illinc paullo ante hominem receſſiſſe ſtatuerent. His indiciis tam claris adducti, Margentium, ejuſque uxorem, virgineſque præterea duas, Kuo-Thereſiam-Chun ſingulari virtute feminam, quæ præfecta mulie-

que uxorem tormẽtis cruciant ut cognoſcere ubinam Epiſcopus degat, poſſint.

lieribus erat, quæ tertium Ordinem S. Dominici profitebantur, hujuſque fratris filiam Kuo-Luciam-Hieu tormentis ſubjiciunt, ſed nihil ex iis rerum, de quibus percuntantur, extorquere poſſunt; quod interrogantibus perpetuo, ab omnibus reſponderetur, profugiſſe Epiſcopum, neque ſibi eſſe, quo profugerit, exploratum. Interea Prætor, ne opportunitas chriſtianis latebras quærendi daretur, militibus imperavit, ut Kan Kia-panum, quod eſt oppidum in adverſa fluminis ripa, haud longe a Mo-yango ſitum, proficiſcerentur, Europæumque, qui ibidem verſaretur, caperent.

Johannes Alcoberus capitur, Fo-ganúque a militibus ductus, de ſua patria, deque rebus ab ſe geſtis interrogatur.

XIV. Erat is Europæus P. Johannes Alcoberus, quem hoſpitio Vuang-Thaddæus-Go-Chin chriſtianus receperat. Ac primus quidem ille Sacerdotum Dominicanorum, qui in hoſtium poteſtatem veniret, fuit: quæ res, ut idem ad Serranum ſcripſit, ſic evenit. VII. kal. julias media fere nocte, milites Mo-yango profecti, ædes, in quibus ille diverſabatur, adoriuntur. Alcoberus, audito ſtrepitu, e lecto feſtinanter evadit, iiſdemque in veſtibus, quibus indutus cubitum iverat, uti fuga ſaluti ſuæ proſpiciat, portam exiguam ædium petit, ſed hanc a militibus occupatam cernens, retrocedere cogitur. Vix paſſus quinque proceſſerat, cum ceſpitans concidit, extemploque in

eum

eum lictores tanta vi, quantam existimare quisque facile poterit, irruerunt; adeout coxendicis læsæ dolore aliquamdiu premeretur. Loro deinde collum arcte ligarunt, hominique barbam vellentes, magno clamore, ac strepitu eumdem aliquot passus extra ædes trahunt. Interea Mandarini ad ripam amnis, qui non longe ab Mo-yango fluit, milites præstolabantur, quos ubi accedere viderunt, animadvertitque Mo-yangensis Prætor adeo indigne tractatum Alcoberum, eum ut solverent, propterea quod nihil mali admisisset, præcepit. Postmodum cohors in ædes irruit, unde Sansius paullo ante profugerat, ibique VI. kal. julias mansit. Prima enim luce Fo-ganum omnes reverterunt, abductis una cum Alcobero christianis, quos captos fuisse diximus, & Ambrosio Hy-jino, adolescentuloque illo, qui milites, ut supra est demonstratum, deluserat. Sequuti deinde sunt, qui Episcopi supellectilem deferebant, ex qua eburneam imaginem Christi Servatoris cruci affixi miles detraxerat, detectamque gestabat. Hoc vexillo, quod illi magno in itinere solatio fuit, quasi triumphans Jesu Christi minister sub meridiem ingressus Fo-ganum est, quo tanta hominum multitudo ex oppido, viciniſque locis Alcoberum expectatura convenerat, ut essent, qui dicerent, si Fo-ganum Impe-

perator veniſſet, majorem fuiſſe minime futuram. Atque ille primum ad Prætorem, ut audiretur, adductus, ab eoque cito dimiſſus, ad Præfectum urbi Mandarinum perducitur; cui roganti, cujas ipſe? quot annos natus? quod eidem nomen eſſet? cur, quoque ex tempore in Sinam veniſſet? quot demum Europæi eodem in Imperio verſarentur? reſpondet: eſſe Europæum ſe, annos natum LII., Fy ab Sinenſibus appellari. Veniſſe ante annos XVIII. promulgatum divinam legem, Europæorumque ſe unum, alterum Sanſium Epiſcopum eſſe, qui iiſdem in locis degerent. Solum vero Præſulem Sanſium memoravit, quod hujus eſſet ad judices delatum nomen. Poſt, quum nox inſtaret, apud Mandarinum oppidi, legatoſque duos, quos Pro Rex capiendorum Sacerdotum Dominicanorum cauſſa miſerat, quæſtio inſtituitur. Adhibitis interrogationibus, reſponſiſque, de quibus eſt ſupra demonſtratum, quæſitum ex Alcobero eſt, quot eſſent in Provincia Chriſtiani, quot mulieres, quæ tertium S. Dominici inſtitutum profiterentur? ubinam Sanſius ageret? An una ipſe, & Epiſcopus vivere conſueſſent? Quam longo eum ante tempore non vidiſſet? Ad hæc Alcoberus: quadringentos circiter chriſtianos in Provincia eſſe reſpondet: mulieres, quæ tertium Ordinem Prædicatorum profiteantur

fiteantur, octo, vel decem, easque anus. Scire se Mo-yangi Sanfium agere, quibus autem in ædibus agat, nescire. Commune sibi, præsulique Sansio domicilium non esse, annosque jam præteriisse ferme duos, quo ex tempore illum minime vidisset. Atque is exitus prioris quæstionis fuit. Postero die, qui dies V. kal. julias fuit, in judicium rursus Alcoberus adducitur. Quo in loco cum supellectilem Episcopi Sansii, vestesque sacras, inque judicum mensa eburneam cruci affixi Servatoris Christi imaginem collocatam, omnibus patere vidisset, datam sibi magna cum religionis veræ laude esse intellexit explicandi ethnicis, quæ sit Virgo Servatoris Mater, utque divinum Verbum humanam sibi naturam conjunxerit, opportunitatem. Interrogatus deinde, ecquid litteræ in membranis, ex quibus signa plumbea penderent, inque chartis scriptæ significarent, numque ad incitandum ad defectionem populum pertinerent? respondit: litteras, quæ scriptæ in membranis essent, dari cuique in Europa solere, ut omnes in tam distantibus regnis, quis sit ipse, intelligant; neque his concitari quemquam ad defectionem posse. Reliquas, quæ chartis continerentur, epistolas esse ab amicis ex Europa ad Sansium in Sinam missas, demta illa, quæ finice perscripta erat, cujus se gentis litterarum

notas ignorare dixit. Sequutæ mox interrogationes de oleo ſancto, de ornamentis altarium, de mitris fuerunt; quibus eſt ab Alcobero ita, ut par eſſe videbatur, perſpicue, atque graviter ſatisfactum. Major fuit de magnis, parviſque particulis azymi panis, quas *hoſtias* dicimus, diſquiſitio, de quibus poſt, quam iniquam animo ethnici illi concepiſſent opinionem, videbimus. Igitur cum quæſitum ex viro forti, conſtantique eſſet, quamobrem hoſtiæ adhiberentur, reſpondit: in his corpus, ſanguinemque Jeſu Chriſti, cum res divina fieret, conſecrari, ac magnas ab Sacerdotibus, parvas ab chriſtianis ceteris ſumi conſueviſſe. Quæſitum præterea ex eo eſt, quibus ex rebus idem panis conficeretur: utque Alcoberus ex farina, & aqua dixit, judices, qui interrogando implicare hominem ſtudebant, panem, qui ex farina, & aqua, neque ulla ex re alia conſtaret, tam eſſe candidum poſſe negaverunt. Ille cum fortis in ſententia maneret, oſtendiſſe jam ſe, quibus ex rebus fieret panis, qui in ſacrificio adhibetur, dixit. Id, ſi judices, ut quidem ajebant, non crederent, afferri illuc farinam, aquam, ignem, ac ferreum inſtrumentum juberent. Se namque, iiſdem inſpectantibus, re ipſa, quod verbis dixiſſet, confirmaturum. Poſt ubi actum de codicibus, qui-

quibus doctrina, legesque christianæ continentur, de typographis, deque glutinatoribus, ornatoribusque librorum fuit, ac percuntantibus Alcoberus & vere, & graviter satisfecit; tum auri cupidi judices rogarunt, quidquam ne pecuniæ sinenses christiani, ut libris iisdem potirentur, darent. Denique cum respondisset, distribui sinensibus gratis libros, quod hoc consilio eosdem europæi christiani pretio mercarentur; scisciti ex eo sunt, quæ tandem divinæ legis præcepta essent. Cumque ille decem numerari dixisset, statim, ut ea scriberet, imperarunt: confirmantique se sinice scribere nescire, responderunt, Kuo-Ambrosium Hy-inum præsto esse, huncque jam, quæ ipse vellet, scripturum. Premebatur acerbissimo dolore Ambrosius, nam ejus excruciandi lictores finem paullo ante fecerant: ac humi adhuc prostratus, jacensque præcepta divina, Alcobero dictante, scripsit. Ea noster, ubi scripta fuerunt, accepit, ac prætori dedit. His lectis, prætor, mandarinique omnes tacuerunt.

Ethnici Christianorũ Moyan-gensium, & Ki-tungẽsium domos diripiunt, eorumque aliquos tormentis excruciãt.

XV. Cum hæc Fogani adversus Alcoberum ab judicibus gererentur, sævire milites furoris ethnicorum administri in vicinis oppidis, locisque pergebant. Christianorum, qui quæri sese ad supplicia intellexerant, pars, subductis suis, ad montes profugerant, pars sese in do-

mos ethnicorum, quorum erant animi ad misericordiam propensi, abdiderunt. Ædes christianorum cum aliis in locis, tum Mo-yangi imprimis, & Ki tungi populationi patebant, augebaturque numerus latronum, qui esse se milites, lictoresque jactabant, accedebatque damnis, quæ ex avaritia proficiscerentur, timor, quem libido militum procacissimorum honestis mulieribus afferebat. Atque hi quidem mulieres, virginesque in ædibus quasque suis omnibus generibus tormentorum, haud secus, atque judices facerent, miserandum in modum excruciabant, adeout aliquarum digiti distracti, fractique essent, propterea quod ter, quaterve in quæstione id tormenti genus pertulissent.

Serranus, & Diazius furorem hostiũ declinaturi in angustum se locum abdũt.

XVI. Interea Serranus, atque Diazius, qui Ki tungi in ædibus Franciscani latebant VI. ac V. kal. julias, cum quæri ab hostibus summo se studio, diligentiaque intellexissent, claudi sese in suprema parte ædium intra muros exiguos, debilesque duos curarunt, quorum alter, ne suspicioni locus daretur, saccis aliquot oryza plenis contectus fuit. Cum in eo tam angusto loco essent, diligentiæ hostium, ærumnarumque, quas christiani patiebantur, certiores fiebant, quibus ita afficiebantur, ut misericordia permoti, mandarinis se ipsos prodere cogitarint. Sed ubi animadverterunt, permitti se, sua-

ſuaque omnia divinæ providentiæ oportere, expectandum putarunt, quoad ipſa quid facto eſſet opportunum, ſignificaſſet. Sed amor chriſtianorum erga Sacerdotes Dominicanos, ac pietas ferre non poterat, ut ii, quos Patres vocabant, in poteſtatem venirent ethnicorum. Itaque nocte, quæ diem eſt conſecuta V. kal. julias, eos in ædes ethnici cujuſdam ad montem contra Ki-tungum agentis, cujus erat ipſis perſpecta fides, ducere inſtituerunt.

XVII. Rebus omnibus comparatis, quæ ad proficiſcendum pertinerent, intellectum extemplo eſt, pulſari vehementer fores. Qui iiſdem in ædibus habitabant, Serranum, atque Diazium monent, adeſſe milites, atque utrumque, quam celerrime poſſunt, occultant. Ipſi milites numero centum ingreſſi domum, rem nullam, quam non perfringerent, reliquerunt. Nihilo ſecius, cum ter ad eum locum prope acceſſiſſent, ubi Dominicani latebant, deprehendere ipſos non potuerunt, fruſtraque tormentis adoleſcentulas quaſdam, & grandem natu Virginem ex tertio S. Dominici Ordine excruciarunt. Nam hæ fortiter cruciatus, quin Sacerdotes prodiderint, invicto animo pertulerunt. Jam milites inveniri Europæos poſſe diffidentes, ac ſpe dejectos laboris, quem inquirendo conſumſiſſent,

A Præfecto in quæſtione exquiſitiſſimis tormentis excruciantur, poſtque in carcerem adducti, in catenas conjiciuntur.

tædere cœperat, Dominicanique e latebris eoſdem ajentes, abeſſe illinc europæos, audiebant; cum proxime diſceſſuris Sinenſis quidam, cui nomen Nicolaus erat, qui a noſtris ſacris ad ethnicorum ſuperſtitionem transfugerat, ſupervenit, ac ne putarent, inquit, aves eſſe, volareque Europæos poſſe. Eſſe ſibi exploratum illic eos intus agere. Itaque iterum quærerent. Hac audita oratione, milites cum exiguos quoſque muros ædium dejeciſſent, in eum denique venerunt, quo uterque Dominicanus Sacerdos tegebatur. Quos ubi viderunt, funem extemplo in Serrani collum injecere, & zona apprehenſum tanta vi, tantoque impetu inde ſuſtulerunt, ut ei ſpiritus præcluderetur. Diazius gravi catena conſtrictus, quod aſſultibus, ictibuſque urgeri ſeſe, hærereque cerneret, ut ſe, ne caderet, ſuſtinere poſſet, manum, cui inniteretur, in terram demiſit; cumque pedem, ita ut hoc conanti natura accidere neceſſe eſt, moviſſet, tetigit forte fortuna infimi gradus mandarinum, quem decurionem dicere poſſumus; quam rem mandarinus adeo moleſte, acerbeque tulit, ut apud tribunum Hocang-Chung-yenſem graviſſime conquereretur, punirique ob inanem injuriam Diazium faceret.

A militibus comprehenſi, vinctique in

XVIII. Hora fere ante mediam noctem, Serranus, Diaziuſque, cum ſalu-

tem

tem christianis, qui lacrymis, clamoribus, suspiriis suam vastitatem, solitudinemque testabantur, dixissent, alter fune, alter catena constrictus, Ki-tungo a militibus centum abducti magno armorum, gladiorum, laternarum, facumque apparatu, post horas duas Fo-ganum pervenerunt; statimque ad tribunum, de quo supra diximus, adducti sunt. Is cum ex utroque, quot annos natus esset, cur, quoque tempore in Sinam veniisset, ac cetera, quæ post describentur, quæsisset, tum ad Diazium conversus rogavit, quam ob caussam calce ausus mandarinum petere fuisset? Negavit ille quidquam ab se simile factum, aut sublatum pedem fuisse, ut aliquem læderet. Erat tribuno in animo virum aliquo genere tormenti excruciare: itaque captaturus occasionem, scisscitatus ex eo est, ubinam Europæus Pè (hoc enim vocabatur Episcopus Sansius nomine) degeret. Cum scire se Diazius negasset, ille iratus, torqueri cruciatu talorum (a) homi-

urbem adducuntur. Miles infimi gradus de Diazio apud Judicem, quod se pede tetigisset, vehementer expostulat.

(a) Cum sæpe de cruciatu talorum, manuumque dicturi simus, ratio ipsa hortari videtur, ut, quemadmodũ in commentariis quibusdam scriptum de Sinensium rebus est, breviter, cujusmodi sit, explicemus. Ac cruciari quidem ad talos pedum apud Sinenses reus consuevit instrumento, quod e tribus lignis, quæ sese mutuo decussant, conficitur, quorum sane lignorum medium fixum, immotumque est, reliqua circum illud volvuntur. In

hæc

minem imperavit, ſummaque crudelitate produci plus, quam ad horæ dimidium, quæſtionem fecit. His confectis rebus, defeſſos fuga, metu, ſollicitudine, itinere Sacerdotes, atque conviciis, verberibus, contumeliis, tormentis vexatos in carcerem adduxerunt, colloque injecta catena, pedes etiam eorum vinculis conſtrinxerunt, atque, ut ne fugerent, in pedicam conjecerunt, cui attollendæ vix ſatis quatuor eſſe homines viderentur. Quæ corporis collocatio etſi erat adeo moleſta, ut ne oculis quidem ſuſtineri poſſet, Dominicani tamen, quibus ſpiritus, vireſque divinitus addebantur, reliquam noctem non patienter ſolum, quod ipſum magnum fuiſſet, ſed etiam hilariter tranſegerunt, ſummamque lætitiam ceperunt, quod iis vinculis ſuos teneri cernerent, quibus conſtricti primi Sinarum martyris pedes fuiſſent.

Diazius iterum tormentis ſubjicitur. Vi doloris captus, cum ſe brevi interiturum credat, ab Serrano ſe ſic ut *abſol-*

XIX. Poſtera nocte iterum ſiſti eos ſibi tribunus imperat. Ac Diazio imprimis ſe iratum eſſe oſtendit, propterea quod mandarinum, ut dicebatur calce petiiſſet. Itaque novas viri iterum torquendi quæritabat opportunitates. Cumque

---

hæc pedes immitti reorum ſolent, quæ reſtibus plus, minuſve, ut fuerit ab judice imperatum, conſtricta, acerbiſſimum, ut ſuſpicari quiſque poterit, dolorem afferunt. Torqueri autem rei ad manus ſolent bacillis, qui digitis inſerti, funibus deinde arctiſſime colligantur.

que ex eo percuntatus tribunus esset, nostes ne in iis voluptatibus capiendis traduceret, quas pudor nominare vetat; nosterque respondisset, devotum esse Deo se, neque tam esse improbum, ut veneri indulgeret; tum judex, quid istuc rei est, inquit, quod crumena inclusum gestas? Diazius nihil cunctatus, viri optimi vestium *reliquias* esse dixit. Erat ea tunicæ venerabilis viri Posadæ particula. Sed Sinensis judex homo impudicis moribus, superstitiosum quidpiam, sumsit, esse, quod ad tegendas ejus nefarias libidines pertineret. Nam nisi confessus esset, sciret id causam, quare iterum tormentis subjiceretur, futurum. Negavit Diazius, negantemque dari in cruciatum tribunus jussit. Quod ut est continuo factum, tantum innocentissimo viro doloris attulit, cum afflicti adhuc eidem pedes ex quæstione, in quam abreptus fuerat nocte superiore, essent, ut sensu rerum privari videretur. His tot malis, tantoque angore oppressus, cum cito sese moriturum putaret, petiit ab Serrano, ut sese supplicem mysterio pœnitentiæ expiare ne gravaretur. Ut Serranum *absolutionis*, quam dicimus, verba recitare tribunus vidit, ratus precibus eum vel tormenta ab socio, vel tam immanem dolorem avertere conari, alapas ei viginti bubalinis coriis triplicatis, quadruplicatisve infligi præcepit. Paullo post,

vat, petit. Serranū verba *sacramenti* adhibentē alapis cœdi Tribunus jubet. Theresia Chun religionis causſa cruciatur. Inque Mariam Hy nobilem viduam Ethnici sæviunt.

quam

quam Diazius expiatus *pœnitentiæ* ſacris fuit, ita uſu eſt ſenſuum deſtitutus, ut eum jam Serranus in cœlum migraſſe, certaminum palmam adepturum, arbitraretur. Hora amplius cruciari hominem judex fecit, minatuſque tormentum Serrano fuit, niſi, ubi eſſet Sanſius, indicaviſſet. At is diu jam eſſe reſpondit, quod eum minime viderat. Se namque Fo-gani, Epiſcopum vero Mo-yangi perpetuo conſtitiſſe. His dictis, in Thereſiam Chun, quam præfuiſſe mulieribus ex ordine S. Dominici tertio demonſtravimus, iram, crudelitatemque judex convertit, utque tormento cruciaretur, imperavit. Aderat tum Serranus. Audita judicis ſententia, honeſta, fortiſque mulier, Deo gratias egit, itaque animum improbi, ſævique hominis commovit, ut is lictores arctius funes conſtringere juberet. Hoc ſtatu cum eſſet, quæſitum ex ea eſt, ubinam Sanſius ageret. Ad hæc invicto animo mulier, octavum jam eſſe diem reſpondit, ex quo ille diſceſſerat, ignorareque ſe, quibus tunc in ædibus lateret. Eodem tempore Maria-Hy nobilis vidua in tormentis fuit, ut, quo loco Epiſcopum eſſe ſciret, confiteretur. Cumque inventi eſſent, qui mentirentur, miſſum ab hac ipſa chriſtiana vidua ethnicum adoleſcentem, de quo ſupra diximus, Mo yangum fuiſſe, ut ſupellectilem, quam ea ſervaſſet do-

domi, ad Episcopum deportaret, ita in miseram tribunus sæviundum putavit, ut post immanes cruciatus duci eam Mo-yangum jusserit, quo militibus indicaret ædes, in quas sese Episcopus abdidisset.

XX. Cum judex finem tam crudeliter inquirendi feciſſet, Diazium, & Serranum compediri, ac Theresiam, Mariam viduam, feminasque christianas reliquas reduci in carcerem præcepit. III. kal. julias milites, quod jussi fuerant nocte superiore, fecerunt. Namque Mo-yangum afflictam tot cruciatibus viduam duxerunt, ut index illis Sansii latebrarum esset. Igitur cum eam, qua in domo Europæus versaretur, interrogarent, ipsaque circuitione uteretur orationis, & vel in hanc, vel in aliam sese ut conferrent, diceret, illi irati, propterea quod latentem, quo mittebantur, detegere nequirent, suum in miseram furorem verberibus, maledictis, verbisque obscœnis explebant. Id cum sæpe, ac multum evenisset, facile sibi milites persuaserunt, non esse mulieri locum, in quo Episcopus degeret, exploratum, ejusque vexandæ finem fecerunt, in eumque carcerem reduxerunt, quo reliquæ feminæ christianæ detinebantur. Adventabat interea tempus, quo veniundum Episcopo in hostium potestatem erat. Dici vix potest, quot ille, quamque gravia incommoda a die

Serranus, & Diazius, feminæque rursum in carceres contrudûtur. Maria Ky Moyangum a militibus transducitur, ut, quo loco sit Sansius, indicet. Indicare recusans maledictis proscinditur. Sásius in ethnicorum potestatem cadit; atque ad tribunum adductus de rebus ab se gestis intertogatur.

die VII. kal. ad prid kal julias perpeſſus fuerit, quo die in manus incidit ethnicorum. Annum tum ſextum, ac ſexageſimum agebat, herniaque jam diuturna, & vomitione ſanguinis laborabat, ſuriſque adeo turgidis, lividiſque erat, ut illius, qui ipſum aſpexiſſent, miſererentur. Accedebant inedia, vigiliæque; nam ante dies quinque neque cibi quidquam capere, neque ſomni potuerat, propterea quod domum ſæpe mutare coactus eſſet. Chriſtiani hoſtili militum furore perterrefacti, ſuum denique paſtorem deſeruerunt, eoque in loco ſub arboribus reliquerunt, qua venientibus aditus Mo-yangum patet. Prid. kal julias, cum nihil de magnitudine, fortitudineque animi remiſiſſet, quamquam ab ſuis derelictum ſe, ac viribus corporis deſtitutum videbat, ut mala ab chriſtianis, quæ propter improbitatem hoſtium impendebant, averteret, illuſtreque virtutis, ac fortitudinis exemplum gregi ſuo daret, quem perterritum eſſe intelligebat, primos, qui illinc forte fortuna tranſierunt, ethnicos rogavit, ut ſeſe ad milites ducerent, aut illis ubinam degeret nunciarent, ſe namque eos, dum veniant, expectaturum. Id ut eſt ab lictoribus intellectum, eo ſe ſtatim ferunt, captoque Epiſcopo, Fo ganum proficiſcuntur Hora jam poſt meridiem quarta, ac dimidia in oppidum pervenerunt,

runt, ſtatimque Præſulem innocentiſſimum ad tribunum duxerunt, qui illum cupide præſtolabatur. Is poſtquam ex Sanſio de ætate, deque aliis rebus, ut eſt apud Sinenſes in uſu, quæſivit, percuntatus mox eſt, ubinam P Royus Dominicanus, & Antonius Conainus ſacerdos natione Gallus, agerent. Epiſcopus nihil ſibi eſſe de Rovo compertum, Antonium vero aut Macaum, aut Cuchuenum abiiſſe, dixit. Quo tempore omnes receſſerunt, ſolumque in Prætorio Epiſcopum reliquerunt. Ei, quum ibi in ſcamno, requietis cauſſa, conſediſſet, inque unam arborem, quæ in atrio erat, oculos conjeciſſet, viſum eſt, paullo ante quam adveſperaſceret, oblatum, quod cum ipſe Royo, Serranoque ſecreto narraſſet, tum ab hoc poſtremo, qui Epiſcopus perinde, ac martyr fuit, ſumma fide litterarum mandatum eſt monumentis.

Viſum Sanſio offertur. In Prætorii atrio ſedenti ſtellæ, peda Epiſcopalia duo, ac feretrum apparent.

XXI. Igitur videre ſibi viſus eſt ſummam arborem ſtellis confertam, quæ multo eſſent cæleſtibus lucidiores: peda præterea, quibus Epiſcopi utuntur, quæque e ſtellis pari ſplendore fulgentibus conſtarent, duo: aliquanto demum ab ſtellis intervallo feretrum. Subſtitit aliquamdiu oculos oblectans, captuſque viſi admiratione Sanſius, tandemque ſurgens, ut intro, quo audiri poſſet, abiret; ubi ſe novos ſpiritus aſpectu oſtenti ſumturus, cum in

ja-

januæ limine esset, convertit, quid quid apparuerat stellarum, pedorum, feretrique, evanuisse animadvertit.

Sansius in carceré conjicitur. Ethnici, ut Royum capiant, Ambrosiũ Hyinum tormétis subjiciũt; isque victus mulieres, obtestatur, ut indicent, ubinam sacerdos lateat. Mulieres se indicaturas negant. Comprehenditur Royus, deque eo triplex quæstio habetur. Denique ethnici Lucá Hininum, & Royum variis de rebus interrogant.

XXII. Introductus autem Antistes in conclave distinctum ab eo fuit, in quo Alcoberus manebat, ne qua eis inter sese communicandi potestas esset. Unus adhuc supererat Dominicanorum, qui nondum in hostium potestatem venisset. Is erat Royus. Quem ut inveniret, kalendis juliis tribunus Kuo-Ambrosium-Hy-inum tormentis tentari præcepit. Sperabat enim fore, ut ille, ubi Royus esset, confiteretur. Ambrosius, qui vim doloris perferre diutius nequibat, promisit se quæsiturum. Quare ipsum judex eodem die una cum Mandarini Foganensis adjutore, militibus, lictoribusque Mo-yangum mittere decrevit, confidens fore, ut brevi in potestate hominem haberet. Agebat in ædibus Sinensis cujusdam, qui patruus Ambrosii erat, Royus, cumque eo cohors perveniisset, persuadere Kuo-Magdalenæ, quæ tertium S. Dominici ordinem profitebatur, sobrinæ suæ conatus Ambrosius est, ut, ubi Royus deliteſceret, doceret, quod fieri non posse diceret, ut diutius celaretur. Magdalena etsi subjecta tormentis fuit, negavit tamen se, ut quæ fortior sobrino esset. quo in loco Sacerdos lateret, demonstraturam. Hujus sunt exemplum imitatæ nurus, quæ iisdem in ædi-

ædibus degebant. Interea Royus, qui multis difficultatibus ſuperatis, iiſdem in ædibus latuerat, cum e ſpelunca, in quam ſe tandem abdiderat, intellexiſſet Mo-yangi milites manere, & ſeſe nominatim quæri, conſideraſſetque ſpem latendi nullam in poſterum tempus futuram, VI. non. julias exeundum e latebris putavit, cumque e colle, qui prope ab oppido aberat, deſcenderet, in lictores incidit, qui illum continuo aggreſſi ſunt, eique fuſtibus verbera minari cœperunt. Sed Royus eos, ne quidquam in ſe auderent, hortatus, actum ſe apud Pro-Regem reum eſſe affirmavit. Quæ res in cauſſa fuit, cur abſtinendum ab injuria, maleficioque eſſe arbitrarentur. Itaque collum homini fune ligarunt, eumque ad Mandarinum, Mo-yangum adduxerunt. A Mandarinis cum aliquot horis in ædibus Magdalenæ detentus fuiſſet, media fere nocte Mo-yango abductus, V. non. julias prima luce Fo-ganum pervenit. Poſt in judicium adductus, flexis genibus, horæ dimidio interrogantem Prætorem ſuſtinuit, cumque Hoang Chung-Ye tribunus ſuperveniſſet, inſtituta rurſus, productaque moleſtiæ plena quæſtio ad horam eſt, quin ei facta aut ſurgendi, aut ſedendi poteſtas eſſet. Duas illas priores tertia eſt conſequuta apud Præfectum oppidi quæſtio, qui, ut miti, lenique ingenio erat, nulla

in

in re ſacerdoti moleſtus fuit, eaque ſolum ex eo eſt percuntatus, quæ ſpeciem quamdam, non vim judicii præſeferrent. Paullo poſt, quum mandarini iidem tres in præfecti oppidi ædes conveniſſent, primumque omnium Ambroſium Hi jinum ad ſe vocaſſent, ex quo in Kuo-Lucæ Kin-jini domo Royum aliquamdiu conſtitiſſe intellexerunt; tum Lucam in judicium adduci juſſerunt, poſtque varias interrogationes (quæ ad celebritatem judicii pertinebant, quaſque Tipaſitanus Præſul negat ſe, antequam de longa quæſtione a Pro-Rege inſtituta ſermo incideriit, deſcripturum, ne eadem ſæpe dicere cogatur) ex eo de uſu ſacrarum veſtium quæſiverunt. Interrogantibus cum perſpicue, diſtincteque, ut par erat, Lucas ſatisfeciſſet, mandarini, qui præjudicatis opinionibus ducebantur, in alia quæſtionum genera venerunt, exque Royo ſunt percuntati, quem uſum, vireſque theriacæ, cocolatæque eſſe judicaret. His ille id, quod res erat, reſpondit. Neceſſe enim hæc item explicare fuit, propterea quod Sinenſes, qui ſibi ſapientes eſſe videntur, aut crederent, aut ſibi eſſe perſuaſum ſimularent, hujuſmodi rebus vel faſcinandorum hominum, vel capiendæ turpis cum feminis oblectationis, impediendorumque eorum, quæ inde oriuntur, quibuſque mala cum mulieribus conſue-

tudo

tudo detegi natura ſolet cauſſa Europæos uti conſueviſſe. Cum moleſti, ſævi, improbique Mandarini finem quærendi feciſſent, datum militibus in mandatis eſt, ut in carcerem, cujus anguſtiis Serranus, Diaziuſque detinebantur, Royum deducerent. Numero jam erant XXXIV., qui propter religionem cuſtodiis aſſervabantur. Erant eo in numero mulieres, quæ, ſejunctim a viris, in cubiculo ſedi tribuni proximo clauſæ detinebantur.

Sacerdotes, Chriſtianique ceteri, vincti Fo-cheum abducuntur, magniſque in itinere incómodis preſſi, poſt habitam Fo.chei a Fro. Rege quæſtioné, ad reorum judicem mittuntur.

XXIII. Cum Dominicani, qui in Fo-Kiena provincia degebant, omnes in ethnicorum poteſtatem veniſſent; impératum militibus III. non. julias a judicibus eſt, eos ut Fo-cheum cum aliis chriſtianis quinque, illuſtrique femina Thereſia Chun, de cujus virtute facta eſt ſupra commemoratio, ducerent. Quæ ſolitudo Fo-ganenſium chriſtianorum, qui gemitus, quam ingens animi dolor fuerit, cum abſcedere eos, quos parentum habebant loco, intuerentur, quin ſe illos iterum viſuros confiderent, deſcribere prætermittimus, quod imminuere deſcribendo rei magnitudinem nolimus. Chriſtiani omnes collo, manibuſque (demtis Epiſcopo Sanſio, & Alcobero, quorum non ſunt manicis ferreis conſtrictæ manus, ac primi quidem propter ætatem, alterius propter corporis ægritudinem) catenis ligati a militibus ducebantur, qui milites bini

ſingulis cuſtodiendis, torquendiſque deſtinati erant. Dies amplius quinque in itinere conſumſerunt. Quod iter, cum ob vehementes æſtus plenum moleſtiarum eſſet, tum durius plane fuit propter victus tenuitatem, qui exigua oryzæ coctæ portione continebatur, & propter quietem, quæ vinctis noctu negabatur. Namque ad palum, pilamve alligati, non alio lecto utebantur, quam ſatis humido ſolo ſtorea contecto, qua in ſtorea magnus numerus turpium beſtiolarum nidos fecerat, quæ culicibus junctæ nullum eis requieſcendi ſpatium relinquebant. In iis, qui humaniter noſtros ſuſceperint, duo Hing-Telo-yvenus, & Lin-Kiangus mandarini fuerunt, quorum ſunt erga afflictos chriſtianos officia a Tipaſitano Epiſcopo poſterorum memoriæ commendata. Sexta poſt meridiem hora VI. idus julias Focheum Servatoris Chriſti famuli venerunt, horaque poſt in judicium Pro-Regis juſſu adducti ſunt, qui cum ex eis plura ad faſtidium uſque pro judiciorum conſuetudine quæſiſſet, omnes ad judicem reorum miſit, qui eoſdem in quatuor Metropoleos illius carceres diſtribui curaret.

Chriſtianis in carceres diſtributis, delecti mandarini, qui de cauſſa cogno-

XXIV. Fo-cheum, ſive Fu-cheuſum urbs Fo-kienæ provinciæ princeps, ac Pro-Regis ſedes, multitudine civium frequentiſſima eſt, ſuiſque mœnibus duo

Heu-

Heu-Kuon-Hienum, & Min-Hienum, ſuburbia continet. Chriſtiani, qui deſſi ambulando erant, cum horis duabus ad fores judicis reorum expectaviſſent, tum ita in carceribus diſtributi ſunt. Epiſcopus Sanſius, Dominicus Vuen chieus, & Ambroſius Hy-inus in Min-Hienum; Serranus Epiſcopus Tipaſitanorum, Margentius Langus, & Dominicus Chieus in Præfecti urbi; Alcoberus, & Diazius in judicis reorum, ſeu quæſtoris provinciæ; Royus denique, Thaddæus Go-chinus, & Thereſia Chuna in Heu-Kuon-Hienos carceres contruſi ſunt. In his tot doloribus, angoribuſque, quos propter incommoda, & labores itineris, ac diuturnam quæſtionem (horis enim quatuor coram Pro-Rege, flexis genibus interrogati fuerant) pertulerant: inque tanta rerum omnium inopia, cum catenis, manicisque ferreis, & ſqualore carceris, inter innumerabiles, maximeque moleſtas beſtiolas, oppreſſi, ac pene confecti eſſent; Deus, cujus cauſſa pugnabant, ſuos milites non deſerebat, immo vero novos eiſdem ſpiritus addebat, & placidiorem concedebat ſomnum, ut redintegratis viribus, rurſus pro religione in certamen deſcendere, ſtrenueque confligere valerent. Interea mandarinis Heu-Kuon-Hienenſi, Min-Hienenſi, & Chang-lo Pro-Rex negotium de cauſſa chriſtianorum cogno-

ſcant; primâ de iis quæſtionem inſtituunt,

ſcendi dedit, a quibus ad d. XVII. kal. auguſti, prima eſt quæſtio inſtituta. Ac ſupervacaneum, plenumque fortaſſe moleſtiæ opus eſſet, quæ propoſita, dictaque ultro citroque in quæſtione quaque fuerunt, deſcribere, quæ eodem fere omnia recidebant; quamobrem iis productis, in quibus eſt quidpiam ſingulare, cetera in id judicium rejiciemus, in quo deſcribenda omnia ſunt quæ ab Serrano diligentiſſime litterarum mandata monumentis ſuerunt.

Tribunus militum homines chriſtianos 14. Fo-cheum in carceres ducit, idemque oſſa Ven. Capillæ ſuperſtitione ductus, quod urbi metuat, extra mœnia relinquit.

XXV. Eodem die Fo-cheum Hoang-Chung-ye tribunus militum, de quo ſupra demonſtratum eſt, venit, hominesque ſecum quatuordecim in carceres contrudendos adduxit. In his Maria-Hya, mulieresque aliæ ex tertio S. Dominici inſtituto quatuor, Aloyſia, Lucia, Johanna, & Roſa; ethnicus ille adoleſcens, quem errore decepti milites in catenas conjecerant, Agneſque puella fuerunt. Hanc tribunus hoſpitio recepit, ut eam ſibi beneficio devinciret, faterique cogeret, quæ ipſe ſibi falſo ab ſacerdotibus chriſtianis flagitia perpetrari perſuaſiſſet. Idem, quum caput, duxque hoſtium eſſet, arcam, in qua oſſa V. Franciſci Capillæ Martyris aſſervabantur, aſportari, extraque urbis mœnia collocari fecit, quod ſuperſtitione Sinenſium teneretur, qui, ſi cadaver, oſſave cujuſquam in oppida importentur, infortunium oppidanos laturos, luemque bre-

brevi futuram putant. Sed christiani diligenter de loco, in quo sunt eadem ossa condita, cognoverunt, ut, cum divini numinis beneficio restituta Ecclesiæ Sinarum pax fuerit, ea ipsa recuperare, & Manilam transferre possint.

Ossa V. Capillæ ethnici infantis cujuspiam esse, iisque christianos ad veneficia uti, comminiscuntur, eaque de re ex Serrano, & Josepho Chung-Hoeyo quærunt.

XXVI. Atque hæc sane occasio fuerunt, quamobrem sacerdotes Europæi accusarentur. Namque a malevolis nunciatum Mandarinis fuerat, esse ea quidem unius alicujus infantis ossa, quæ summa religione ab Europæis, veneficii, aliorumque nefariorum scelerum caussa, asservarentur. Ergo XI. kal. augusti Serranus, & Josephus Chung-Hoeyus, cujus ædes gratis, liberaliterque Serrano patuerant, in judicium adducti fuerunt, ut de iisdem ossibus interrogarentur. Uterque, id quod res erat, respondit: esse ea venerabilis viri Franciſci Capillæ ossa, quem Capillam fuisse Fo-gani capitis condemnatum, cum Xun-Chy, ejus, qui nunc est, Imperatoris Kien-lungi proavus, apud Sinas imperium obtineret. Ad hæc Mandarinus, qui præjudicata opinione ducebatur, iratus, atque ægre ferens, Serranum intuens, abscede hinc cano capite serve, inquit, sunt enim hæc infantis ossa, quæ huc fascinandorum hominum caussa attulisti. Negavit Serranus; atque id esse, quod paullo ante affirmarat, Fo-ganensibus notum dixit. Esse namque ossa

illa viri cujuſdam Europæi, cujus inſignis erga Deum pietas fuiſſet, adeoque tam diligenter in Sina ſervari conſueviſſe, quam caput in ejus patria, quo aſportatum jam inde a multo tempore fuerat, ſervabatur.

Idem ex Sanſio, itemque ex Serrano, & Dominico Vuen-Chieo Mãdarini percuntantur, viroſque anatomicæ artis peritos conſulunt. Horum auctoritate calumnia depellitur. Mandarini ad Pro-Regem tabulas mittunt, quibus innocentia chriſtianorũ manifeſtatur.

XXVII. His rebus geſtis, Mandarinus finem inquirendi fecit, ſeque jam dixit de omnibus Pro-Regem certiorem facturum. VIII. idus auguſti inſtituta rurſum de oſſibus quæſtio eſt. Vocati in judicium Epiſcopus Sanſius, Serranus, & ſenex Dominicus Vuen-chieus, ita judicibus reſpondendo ſatisfecerunt, ut eos veritatem fateri, nihilque de noſtris ſuſpicari cogerent. Nihilo ſecius id ut magis, magiſque conſtaret, gratumque Pro Regi fieret, datum a Mandarinis negotium quinque, aut ſex viris anatomicæ facultatis peritis fuit, ut de oſſibus, quam diligentiſſime potuiſſent, cognoſcerent. Hi, quum accurate, quod juſſi fuerant, feciſſent, communi ſententia, eſſe ea viri, non infantis oſſa dixerunt. Ea re judicata, referri omnia in acta, ex quibus ſacerdotum chriſtianorum innocentia cognoſceretur, Mandarini curarunt; eademque poſt, ut fert conſuetudo, Pro Regi exhibuerunt.

Pro-Rex judicibus amotis alios ſubſtituit, quos ſæviores futuros arbitra-

XXVIII. Ægerrime Pro-Rex capitalis nominis chriſtiani inimicus, atque hoſtis tulit, cognoſci ex actis innocentiam eorum, integritatemque morum poſſe,

quos

quos ipſe reos eſſe graviſſimorum crimi-
num volebat. Quare Mandarinis, ut ne
coeptam quæſtionem habere pergerent,
imperavit. Inde, ut ingenio indulgeret,
e Mandarinis Provinciæ Chang Pu-hie-
num, Kien-Hing-hienumque homines
ſævos, atque crudeles delegit, qui rem
gererent, hiſque Yen-Ping-fuæ urbi Præ-
fectum adjutorem dedit. Inventa jam in-
ter chirografa Sanſii epiſtola erat, qua mu-
lieres e tertio S. Dominici ordine, quæ
Chang-cheu agebant, hominem hortatæ
fuerant, ne in id oppidum ſe conferret,
propterea quod magnus ibi lictorũ nume-
rus eſſet, a quibus captus certe, tranſductuſ-
que Macaum fuiſſet. Mandarinus Chang-
loæ urbis, antequam actis ſuprema impo-
ſita manus eſſet, Epiſcopum ad ſe evoca-
vit, ex eoque mulierum, quæ litteras
miſiſſent, nomina quæſivit. Cum caute
Sanſius feminarum, patriſque earum no-
mina tacuiſſet (erat autem ipſarum pater
Nien-Antonius, qui diu ante multas per-
peſſus pro religione chriſtiana calamita-
tes fuerat, de cujus virtutibus agemus alio
loco opportune) Pro-Rex implacabili ira
inflammatus, Antonium, uxoremque,
alioſque chriſtianos duos comprehendi juſ-
ſit. Sed perpaucis poſt diebus his poſtre-
mis chriſtianis tribus abeundi poteſtatem
dedit. Antonium retinuit. Hunc in car-
cere menſibus duobus aſſervari, colaphiſ-

tur. Muſſe-
rum, quæ
Epiſcopum,
ſibi ut cave-
ret, per lit-
teras monue-
rãt, parentes
vexantur.

que triginta cædi fecit, cumque nihil in judicio, quod reum hominem constitueret, reperisset, liberum domum mittere decrevit.

Ly-Benedictus, christianique alii, quod vinctis opem intenderent, comprehensi, in carceres, Ly-Benedicto excepto, conjiciuntur, ac ethnicus Vuag-Meus eamdé ob caussá cippo ad collum damnatur, sed postea omnes dimittuntur.

XXIX. Interea christiani reliqui pro sua caritate nihil prætermittebant, quin iis, qui squalore carceris opprimebantur, subsidia importarent. Erat Fo-chei christianus nomine Ly-Benedictus, cujus etsi modicæ fortunæ erant, domus tamen non sacerdotibus Europæis modo, qui apud eum sæpe diversabantur, sed etiam christianis Fo-ganensibus, & Chang-cheensibus universis patebat. Is una cum Ly Michaele fratre in id diligenter incumbebat, ut carcere conclusis sociis religionis adesset, eosque, quibus rebus poterat, juvaret. Quamobrem Pro Rex, qui exploratoribus constitutis, ne quid in carceres auxilii christianis supportaretur, cavebat; ubi Alcoberum, & Diazium piscículis aliquot, ejusque generis fructibus, quos Sinica terra producit, donatos cognovit, continuo Ly-Benedictum, in quem ea suspicio cadebat, ad Præfecti urbi carceres abduci imperavit, ubi extemplo cum Alcobero conferretur. Sed cum uterque in eam responsionem convenire, sibi alterum ignotum esse (quod plane ita sese habebat, neque enim umquam alter alterum viderat) Ly-Benedictus liber dimissus est. Ex Fo-ganensibus etiam chri-

chriſtianis, quamvis perculſi omnes timore erant, tamen viri plus minus duodecim inventi ſunt, quos retinere non poſſet metus, quin Fo-cheum contenderent, iiſque auxilium ferrent, qui vinculis detinebantur. Ea res ut eſt Pro-Regi enunciata, hos item in carcerem contrudi juſſit, eiſque ſolum evadendi facultas fuit, qui ſibi fuga ſalutem quæſierunt. Venerat una cum chriſtianis ethnicus quidam Vuang-Meus appellatus, ut viduæ Mariæ Hy principi, ut dictum eſt, feminæ præſto eſſet. Is, ut erat in judiciis verſatus, & prudens, exempla ſibi quæſtionum, quæ de chriſtianis habitæ fuerant, reliquorumque chirographorum, quæ ad cauſſam pertinebant, paraverat; ſed cum iis rebus, ceteriſque, quas habebat, omnibus in poteſtatem ſatellitum, a quibus eſt interceptus, venit. Dies quindecim optimi, piique imprimis viri, Præfecti carceribus detenti, atque alii alapis, alii tormentis afflicti ſunt. Ethnicus Vuang-Meus, non ſolum tormento excruciatus, ſed etiam virgis quadragies cæſus, & ad tres menſes majori ad collum cippo, tum minori ad annum damnatus fuit. Qua lata ſententia, omnes ad locũ unde profecti fuerant, reverſi ſunt. Ita omnibus ſubſidiis intercluſi, maximis moleſtiis chriſtiani afficiebantur, atque ii imprimis, qui in carceribus Min-Hieni, & Heu Kuon-Hieni erant; nam quod nondum

capitis damnati essent, ne tenuem quidem oryzæ portionem, salis, lignorumve accipiebant, quæ conclusis in Præfecti urbi, judicisque reorum carceribus distribuebantur.

Vir Præfecti urbi familiaris episcopalibus ornamẽtis per cõtemtum irridens se induit, ac paullo post miserabilẽ in modum interit.

XXX. Interea dum judices designati, qui de christianorum caussa cognoscerent, expectabantur, res, libri, sacraque supellex, quæ inventa Fo-gani fuerant, in urbem quotidie inferebantur. Accidit autem, cum eæ res omnes coram Præfecto urbi in tabulas referrentur, ut unus aliquis ex ejus familiaribus, imposita sibi infula, indutusque chlamyde, quæ *pluviale* dicitur, cothurnisque episcopalibus Sansii calceatus, quos *sandalia* vocant, cum irrisione incederet. Sed ultus continuo Deus injuriam est. Vix enim exuerat ille se sacris vestibus, quum repente ante omnium oculos phrenesi correptus est, cumque medici complures multam in restituenda viro valetudine operam consumsissent, post dies amplius sex, delirans, quin ars ei medicorum, qui ejus rei caussa vocati fuerant, subsidio esse posset, animam misere efflavit.

Judices Serrano, & Josepho calumniã de usu episcopalis pedi opponunt, ac negantes tormentis excruciant, qui-

XXXI. X. kal. delecti sævi, crudelesque judices christianorum Fo-cheum pervenerunt. Josephus Chung-Hoeyus, & Serranus omnium primi adducti in judicium fuerunt, atque ex priore quidem de officiis venerabilis viri Capillæ, deque pedi epi-

episcopalis Sansii tubulis, seu cylindris, quæsierunt. Sed ut interrogationes toties ab iniquis judicibus de pedo episcopali repetitæ intelligi facile deinceps possint, animadvertendum est: Sansium, quo expeditior pro varietate locorum, ubi essent sacra celebranda, pedi usus foret, ita illud conficiendum curasse, ut quatuor cylindrulis contineretur instar cochleæ elaboratis, quo facile necti possent, intusque, ut fert consuetudo, ne pondus impediret, quo minus commode pedum gestaretur, cavis. Quos cylindrulos, seu tubulos ubi Sinenses viderunt, continuo calumniæ occasione arrepta, sive ignoratione rerum, sive improbitate id facerent, Europæos accusaverunt, quasi tubulis hujusmodi ad rem obscœnam, quam rem aperte dici prohibet pudor, abuterentur. Ejus criminationis quod nullum, præter suam ipsorum nequitiam, argumentum haberent, innumeris, & molestissimis quæstionibus, perpetuisque tormentis, quin sexui, ætative parcerent, extorquere confessionem ethnici nitebantur. Sed Josephus etsi utrique percuntationi vere, aperteque respondit; judices tamen, qui obducere veritati tenebras studebant, torqueri eum ad talos præceperunt, tormentumque ad horam produxerunt. Ipse tormenti dolore victus, promissisque judicum illectus, qui se torquendi finem facturos pollicebantur, ini-

bus Josephus victus, calumniam confirmat.

iniquam, turpemque delationem ſuo teſtimonio confirmavit. Poſt, quaſi victoriam reportaſſent, judices Serranum advocarunt, qui iiſdem de rebus interrogatus, de omnibus ita, uti veritas, ſuaque integritas vitæ poſcebat, demonſtravit. Qua conſtantia judices vehementer commoti, viginti ei alapas infligi juſſerunt, tantoque impetu cæſus eſt, ut auditu ab ſiniſtra aure læſus ad mortem remaneret. Inde vinculis, & calceis, calceoliſque detractis, biniſque ſcutellis juris phaſolacei potis, quod jus ad egerendum, ſi quod, ne dolorem ſentiret, ſorbuiſſet, medicamentum ſpectare arbitrarentur, ſubjici tormento juſſerunt. Verum, cum illius pedes jam in vinculum conjicerentur, veriti, ne, quod viribus corporis deſtitutus eſſet, doloris acerbitate interiret, differendum tormentum exiſtimarunt. Interim Joſephum eodem induxerunt, qui Serrano perſuaderet, ut impudens mendacium diceret. Sed Chriſti Servatoris miles, de cujus fortitudine nihil cruciatus imminuebant, ea, quam ſemper retinuit, lenitate, ſuavitateque oris, aperte imbecilli chriſtiano coram judicibus demonſtravit, quam procul a veritate res abeſſet, cujus rei ſacerdotes noſtri accuſabantur, ſeque propterea ad eam confirmandam adduci nulla ratione poſſe. Judices, qui etſi convicti calumniæ

erant,

erant, id tamen ſibi perſuaderi nolebant, concilio dimiſſo, chriſtianos ad carceres remiſerunt.

Chriſtiani quatuor ab ethnicis capti Fo cheū ducūtur, unoque dimiſſo, tres reliqui carceribus claudūtur.

XXXII. Quamquam tam erat magnus numerus chriſtianorum, qui religionis cauſſa carceribus detinebantur; nihilo ſecius ethnici, in iis præſertim locis, in quibus Europæi conſtiterant, ab inquiſitionibus non ceſſabant. Itaque iis ipſis diebus ex oppidis Ki-tungo, & Mo-yango ducti Fo-cheum chriſtiani adhuc quatuor fuerunt, Chin-Thomas Xan-ganus, Kuo-Lucas King-jinus, Kuo Petrus-Vejinus, Kuo Johannes-Hanus, quem tamen Mandarini, duobus illius fratribus retentis majoribus natu contenti, confeſtim liberum dimiſerunt. Multa in carceribus incommoda chriſtiani, multa in oppidis, agriſque perferebant, quæ tamen omnia ſingillatim perſequi non licet; nam neque id fieri ab ſe potuiſſe, Serranus ipſe teſtatus eſt.

Sanſius ab judicibus de pedo interrogatur, atque alapis cæditur. Thaddæus Go-chinus alaparum vi, ac dolore compulſus, de pedo falſa prædicat; eūque ſocii omnes, uno Dominico ſene

XXXIII. Die V. Kal. Septembres Europæi ſacerdotes quinque, & Sinenſes chriſtiani decem in judicium adducti ſunt. Judices cum de iis rebus quærendi finem feciſſent, de quibus reos interrogare Sinenſes in judicio conſueverunt, quæſtione de pedi tubulis, atque nefario uſu, quem ipſi ſuſpicabantur, renovata, percuntati ex Sanſio fuerunt, quamobrem multis ex partibus, iiſque cavis pedum conſtare voluiſ-

excepto, metu fracti imitantur. Agnes puella domũ dimittitur.

luiſſet; qui cum, ut facile transferri pedum, ponduſque minui poſſet, reſpondiſſet, alapis quindecim, propterea quod verum dixiſſet, cæſus eſt. Decem item alapas Thaddæo Go chino impingi judices imperarunt, quod turpes inſufflationes, quas ethnici a noſtris fieri calumniabantur, confirmare mendacio recuſaſſet. Nihilo ſecius victus dolore cruciatus, vera ab hoſtibus prædicari mentitus eſt. Hujus ſocii cum parari tormenta vidiſſent, continuo perterrefacti, imitari viri exemplum, quam innocentes liberare a calumnia, maluerunt, Dominico Vuen-Chieo excepto, qui etſi annos natus ſeptem ac ſeptuaginta, adeoque ætate provecta eſſet, terreri tamen nulla re potuit, quo minus in fide, & veritate conſtantiſſime perſeveraret. Vocarunt etiam in judicium Agnetem adoleſcentulam, quam magnis ſtudiis, muneribus, atque officiis ſibi adjungere curaverant; a qua tamen, etſi magna eam, ſupra quam credi poteſt, moleſtia affeciſſent, nihil extorquere, quod optimis viris detrimento eſſet, potuerunt, cum ipſa, niſi caſtos, illibatoſque ritus, quibus uti Eccleſia conſuevit, rem nullam adhiberi a noſtris fateretur. Quamobrem judices, qui multis ſe rebus ab adoleſcentula vinci viderent, continuo ut domum remitteretur, juſſerunt.

Thaddæus, & Margen-

XXXIV. Interea quæſtiones de chriſtia-

ſtianis numquam intermittebantur. III. kal. homines viginti, & octo, Europæi quinque, Sinenſes decem, ac ſeptem, vidua Maria Hya, & mulieres Dominicanæ quinque adductæ in judicium fuerunt. Cum ſacerdotes Dominicani memoriam S. Roſæ Limanæ virginis eo die celebrari ab Eccleſia ſcirent, ei ſe, ſocioſque chriſtianos, in prætorium mox ingreſſuri etiam, atque etiam commendarunt, ita ut ejus præſentem opem, velut eſt ab Serrano ſcriptum, ſentirent. Introductus primum Lieu-Margentius, qui pridie ejus diei territus tormentorum metu, calumniam de turpi inſufflatione comprobaverat, cum ex eo judices de re eadem quæſiſſent, novo ſpiritu divinitus accepto, negavit vera eſſe, quæ dixerat. Judices vehementer irati, quod ab eo contuſam calumniam cernerent, tormento eum ſubjici juſſerunt, ac quinque horarum ſpatio in eodem tormento tenuerunt, cui tamen conſtantia, ſpirituſque eo majores addebantur, quo fortius ſatellites funibus inſtrumentum conſtringere pergebant. Hunc ſecutus Thaddæus, tuliſſe Europæos calumniam dixit, quare ſatellites alapas ei quinque incuſſerunt, ſucceſſitque Royus: Royique hoſpes Kuo-Lucas, atque huic perinde quinque, illi decem ſunt alapæ inflictæ, quod fateri de hoſpitio renuiſſent. Interrogarunt deinceps Royum de

tius reſipiſcunt, & calumniam judicibus exprobrátes excruciátur. Royus, ejuſque hoſpes in eúdem cruciatú veniunt. Judices ex ſacerdotibus, atque ex mulieribus multa de pedo percuntati, tandem Diazium tormẽto, Sanſium alapis affligunt.

ca-

capſula ſacrorum oleorum, deque cocolatæ uſu, de quibus ille rebus appoſite, vereque reſpondit. Iiſdem de rebus ex Sanſio etiam, & Serrano quæſitum eſt; quorum cum eſſent ſimilia reſponſa, judices verſutas percuntationes intermiſerunt. Tum advocato Alcobero, rurſus de epiſcopali pedo quærere; de quo ille etſi veraciſſime, quem haberet uſum, oſtenderet, tamen vocare mulieres etiam, & ſuperiores interrogationes repetere. Quæ chriſtiani cujuſdam, qui putabat hoc modo declinare eas cruciatum poſſe, conſilio inductæ, ter a miniſtro ſacrorum, dum baptiſma celebraretur, ſufflari ſolere reſponderunt; eaque reſponſione accepta, iniqui judices, qui myſticas ejuſmodi ſufflationes pro ſua nequitia, & improbitate interpretabantur, vehementer ſunt gaviſi. His rebus dictis, Mandarini, quod tempus jam prandii impenderet, intermiſſa quæſtione, abierunt, chriſtianis tamen in ſalutatorio cubili relictis, ibique ad duas poſt meridiem horas, nullo ſumto cibo, expectantibus. Quo tempore, redintegrato judicio, chriſtiani plerique inducebantur, atque majorem partem alapis cædebantur. Poſt Diazium ad ſe adduci imperarunt, ratique hominis ſimplicitatem allici ſimulatione miſerationis, & ſuavitatis poſſe; bonos viros Europæos eſſe affirmarunt, abeſſe ab eorum moribus frau-

fraudem, & quibus rebus ſuſtentare vitam poſſint, habere. His, aliiſque rebus in eamdem ſententiam dictis, pari lenitate de turpiſſimis inſufflationibus exprimere conati, poſtremo, ni cofiteretur, minitari homini tormenta cœperunt. Quorum ille contentionem, & ſtudia, patefacta rei veritate, eluſit: cumque id ſaltem ut fateretur, rogarent, Sanſium nefariis ejuſmodi cæremoniis delectari, eos modeſte coarguit, quod, quum mendacio injuria Deo gravis irrogaretur, ipſum tamen mentiri præciperent. Quæ cum ille dixiſſet, confeſtim jure phaſeolaceo potum in tormentum talare conjecerunt: & ſatellitibus funes conſtringentibus, unus ex his quidam, tubulo pedi accepto, virum percutiebat, ac fatere, ajebat, his vos tubulis ad inhoneſtas ſufflationes uti conſueſſe. At Diazius, cujus erat major animus, quam ut compelli cruciatu, conviciove ad ignaviam poſſet, etſi pedibus erat afflictis, oſſibuſque confractis, perlato jam ſemel, & iterum Fo-gani tormento eodem, doloremque propterea ex eo, cum tertium jam torqueretur, maximum caperet: tanta conſtantia cruciatum, tanta animi æquabilitate, atque lætitia ferebat, ut vel ſociis ipſis moveret admirationem. Dum is torquebatur, Mandarini evocato Sanſio, huic dicere, urgereque, ut, quoniam de ſufflationibus impu-

dicis faſſæ mulieres eſſent, ipſe quoque confiteretur. Quibus ille fidenter, ut ſumma erat animi præſentia, feminas ut accirent, dixit: namque ſi hæ coram ejuſmodi turpitudines confirmaſſent, ipſum ſe cruciatibus ultro ſubjecturum. Igitur accerſitis feminis, Sanſius, tubulo pedi uno arrepto, ad Kuo-Thereſiam maximam Dominicanarum converſus: ego ne, inquit, ſeu tecum, ſeu aliis cum feminis unquam facinus tam indignum admiſi, cujus me judices accuſant? ad hæc mulieres una voce omnes; minime ſane, reſponderunt: Nam eſt id calumnia cõparatum mendacium. Nos quidem te, alioſque Patres ter, cum baptiſmum celebraretis, ſufflaſſe diximus: at ſufflari ſeu abs te, ſeu ab reliquis per hos tubulos in feminas, viroſve conſueſſe, nuſquam diximus. Hinc præſul ſanctiſſimus nactus occaſionem, explicare judicibus cœpit, quo ſpectarent eæ ſufflationes, quæ ab Sacerdotibus, dum quemquam chriſtianis ſacris initiant, fieri ſolerent. Sed ii tamen, ut qui non ad intelligendam quidē, ſed ad contemnendam, irridendamque veritatem veniſſent, Thereſiæ, ut in Epiſcopum ſufflaret, quo eum ipſi ritum cognoſcerent, juſſerunt. Epiſcopus, qui id imperatum irridendorum ſacrorum cauſſa fuiſſe intelligebat, neque uſurpari per contemtum cæremonias ſanctiſſimas patiebatur, reſtitit: etenim non ad eum quidem, qui bapti-

ptizetur, ſed ad miniſtrum myſticarum ſufflationum hoc munus pertinere dixit. Ventum deinde a contumelia ad tormenta eſt, decretumque, ut alapis viginti cæderetur, qui cæſus, atque ab iis, ſentiret ne ex colaphis dolorem, interrogatus, cum affirmaſſet: quid ergo eſt, inquiunt, quod nihil quereris? His Sanſius: quod Redemtoris, inquit, mei Jeſu Chriſti cruciatus meminerim.

Kuo Theresia digitorum tormentū iubit; fratriſque filii cruciatu a ſententia ſe deterreri non patitur.

XXXV. Interea perturbati judices Kuo-Thereſiam digitorum tormento ſubjecerant. Quem ob cruciatum, quod eum Fogani antea bis magni hæc animi femina paſſa fuiſſet, contortiſque jam ſupra modum manibus, digitiſque eſſet, tantam vim perpeſſa doloris eſt, ut pene ſenſu rerum privaretur. Aderat Sanſius, atque in tam gravi Thereſiæ periculo S. Roſæ majorem in modum implorabat opem: quem cum movere labia Mandarini homines ſuperſtitioſi animadvertiſſent, primum quod preces recitaret, arguere; tum apparitoribus, inde ut abducerent, imperare; quaſi vero extra eum locum precandi viro facultas non eſſet. Atque ut Thereſiæ conſtantiam, & fortitudinem judices frangerent, curarunt, ut, dum ipſa torqueretur, Ambroſius fratris ipſius filius proſtratus humi valide verberibus cæderetur. Ita enim ſperabant fore, ut amitæ fortitudo miſericordia fratris filii vince-

retur, ipſeque afflictus verberibus eidem perſuaderet, ut annuens confirmaret ſufflationum calumniam. Clamabat miſer preſſus ictibus, amitæque orabat, implorabatque fidem, ut ſui jam miſereretur, & ſupplicio liberaret. Ipſa contra nihil ſeu animi, ſeu corporis cruciatu commota, conſtantiſſime reſpondit: atqui Deum roga, te ut liberet. Equidem te per blaſphemiam, calumniamve ut liberem, non committam. Pertulit invicte amplius hora Thereſia tormentum, cujus victi patientia judices, non eſſe diutius rem producendam exiſtimarunt, eique triumphum ultro conceſſere, quem eo pretio meruit, ut in omni reliqua vita læſa manibus remaneret.

Judices Royum verbis circumvenire conati, poſt de Deo multa præclare diſſerétem arundine ſæviſſime cædunt; ac Diazium, & Sanſium moleſtis percũtationibus morãtur.

XXXVI. Nihiloſecius immiſericordes judices nullum tempus, quin chriſtianos inſectarentur, prætermittebant, nullamque his relinquebant quieſcendi facultatem. Poſtero die, qui fuit dies kal. ſeptembr., rurſus adduci eos ad tribunal jubent; & Royum, qui primus omnium eo eſſet inductus, quamobrem venerit in Sinam, interrogant. His ille: non aliam ſibi veniundi cauſſam fuiſſe dixit, niſi ſtudium propagandæ divinæ legis, hominumque permovendorum, ut Deo fidem adjungerent, ut caritate in illum inflammarentur, utque ei obtemperarent, conſequuturi, ſi imperata feciſſent, exacta mor-

mortali vita, ſempiternam felicitatem, perpetuumque ſupplicium evaſuri. Loquentem judices interpellant, atque ſeverius objurgant, ac talia ne commemoret, imperant: eam enim illum adventus cauſſam habuiſſe, ut populos ad defectionem incitaret, ut turpiter conſuetudine, familiaritateque mulierum abuteretur, vel ut in aliquo gradu honoris, & dignitatis a Pontifice Maximo collocaretur. Quum ille affirmare, quæ ante dixiſſet, pergeret, judices afferri arundinem primæ magnitudinis imperarunt, eaque ante Royum poſita, homini minantur, ni eorum mendacia confirmet, ſe, ut ea cædatur arundine, juſſuros. Ad hæc cum ille conſtanter diceret, ſe, quamvis ita, uti ipſi minabantur, cæderetur, non aliter umquam, quam hactenus feciſſet, reſponſurum; tum judices circumvenire argutiis hominem conati, vobis, inquiunt, perſuaſum eſt, ubique eſſe auctorem mundi, & moderatorem Deum: erit igitur in iſta arundine. Itaque ſi dolorem tibi verbera non attulerint, ſeu conſpicuum ſeſe præbuerit Deus, teque liberarit, nos fidem iſti adjungemus Deo, quem nobis prædicas; ſin ſecus acciderit, Deum illum nuſpiam eſſe ſtatuemus. Sed Royus, nemini eſſe dubium oportere, inquit, quin immenſus qui eſt, is etiam ſit ubique locorum, adeoque in arundine ipſa, Deus.

Vim tolli verberum, ne dolorem inferant, ſeque liberari cruciatu, rem facſu facillimam divinæ virtuti eſſe. Sæpe id multis eveniſſe. Majori ſe tamen beneficio auctum divinitus iri, ſi neque a verberibus ipſe, neque a dolore eriperetur. Dolorem, quem ictus inferrent, brevem eſſe, gloriam contra, quam dolor poſt mortem pareret, æternum haud dubie duraturam. Tum Deum eſſe oſtendere, deque eo multa egregie, præclareque dicere, & teſtimonia ſcripturarum afferre, quibus de Filio Dei homine facto doctrina contineretur. Elegantiſſimam hujus univerſitatis rerum fabricam commemorare, cælorum amplitudinem; multitudinem, ſplendorem, pulchritudinemque ſyderum, & temporum varietates, ac perpetuas mutationes, reſque conditas tanto numero, tantaque inter ſe diſſimilitudine conſtantes demonſtrare, quæ quidem omnia unus aliquis ad uſum, & voluptatem hominum fabricatus ſit; cumque ea nec fieri potuerint, neque conſervari ipſa per ſeſe, dominum tantarum rerum eſſe omnipotentem aliquem oportere, qui omnia fecerit, omniaque ſervet, ac moderetur. Atque hunc, inquit, nos Dominum colimus, hunc unum eſſe, verumque Deum prædicamus. Quæ res etſi erat clara, atque perſpicua, atheis tamen illis (nam hoc eos Epiſcopus Tipaſitanus appellat nomine)

ne) perſuaderi omnino non potuit; quorum juſſu Royus humi proſtratus, nudatuſque ſæviſſime denis verberibus eſt afflictus. Interrupte cæſus, cum binis, tenuisve ictibus pulſaretur, ex eoque, quam ob cauſſam ad Sinam veniſſet, judices peterent; ipſe felicitatis hominum ſempiternæ ſe, animarumque ſalutis procurandæ ſtudio veniſſe reſpondit, donec decretus verberum numerus expleretur. Hujus ſupplicii, quo homines nudati afficiuntur, tanta vis eſt, ut qui commentarios de Sinenſium moribus ediderunt, eo ſolo hominem exanimari poſſe ferant. Iiſdem de rebus poſt ex Serrano etiam quæſitum eſt. Cui judices, cum eadem fere ac Royus de ſuo in Sinarum imperium adventu reſpondiſſet, decem incuti alapas fecerunt. Poſt percuntati ex Alcobero fuerunt, ecqua res chriſtianorum divina eſſet? atque eam ne ipſe quotidie facere, chriſtianiſque reliquis diſtribuere ſoleret? Quibus quum ille ita, uti res ipſa poſcebat, diligenter ſatisfeciſſet; tum ex Diazio quæſierunt, quinam hi eſſent, qui Macao Fo-ganum Europæis ſacerdotibus ſubſidia importabant? Diazius juvenes Cantonenſes duos reſpondit; nam, ita ut reſponderetur, inter noſtros ante convenerat. Deinde judices rogarunt, quibus nominibus Pontifex Maximus, Rex Hiſpaniarum, Provinciæque Dominicanorum in Philippi-

nis Præfectus appellarentur . Denique Sanſium multis interrogationibus de patriæ ſuæ appellatione , deque rebus , quæ ad eam pertinerent , vexarunt Ita diem totum chriſtianos afflictos , & duro , aſperoque lapidi genibus innixos , accedente ad hæc tot mala etiam fame , magna eorum moleſtia , atque incommodo detinuerunt : neque ante , ea die , ſæviendi finis eſt factus , quam mandarini cœnatum abirent ; quo tempore omnes ad ſuum quemque carcerem remiſerunt .

Ex ſacerdotibus judices multa quæſiit: Joſephus diſtribuiſſe ſe oſſa V. Capillæ , tormenti metu , falſo affirmat. Sanſius , & Royus in proximos tribunali carceres trãsferuntur omneſque Europæi librum baptizatorum exſcribere jubentur . Die inſequẽti, renovata quæſtione , alapis Sanſius cædi. tur; tum aliquãdiu quæſtiones intermittuntur .

XXXVII. Satellites , qui , uti ſupra diximus , loca , in quibus noſtri habitaſſent , ſcrutati diligenter fuerant , ſacerdotum libros ſeu europæis , ſeu ſinicis litteris perſcriptos abſtulerant , tabulaſque præterea , in quibus notata nomina eorum erant , qui in oppido Fo-gano initiati myſterio baptiſmi fuiſſent . Biduum, qui dies fuere ad IV. & ad III. nonas ſeptembres in Europæis de librorum ſinice ſcriptorum auctoribus , deque loco , in quo impreſſum formis kalendarium fuiſſet , quod ad uſum chriſtianorum ſiniee ipſi digeſſerant , interrogandis conſumtum eſt. Quibus de rebus graviter , ut debebant , rectèque reſponderunt : cumque judices percuntari ſtudioſe pergerent ; noſtri opportunitatem nacti , commodum eis præcipua doctrinæ chriſtianæ capita explicarunt . Hæc athei nihil morati , percuntati con-

continuo ſunt, deſcriptane iiſdē in tabulis nomina quinque ſacerdotum Europæorum eſſent? quum noſtri affirmaſſent, tum callide ex Serrano quæſierunt, num oſſa venerabilis viri Capillæ, eo ſaltem nomine, quod ſacras eſſe reliquias arbitraretur, chriſtianis diſtribuiſſet? Quorum ut ille improbitatem perſpexit, eluſitque, judices ad hoſpitem ejus Joſephum quæſtionem converterunt, qui etſi primum diſtributa ab ſe oſſa illa fuiſſe negavit, poſt tamen minis, & metu tormentorum perterrefactus, rem ita ab ſe factam, uti fuerat ab illis excogitata, confeſſus eſt. Eadem die, quod ſatellites, qui a carceribus Min-Hieno, & Heu-Kuono Sanſium, & Royum adducere ad tribunal conſueverant, judicibus demonſtraſſent, quanto ſibi ea res incommodo, & damno eſſet, impetratum eſt, ut in prætoriis carceribus, qui prope ab tribunali abſunt, ambo manerent; quæ magna his, ac Serrano fuit tantorum malorum, moleſtiarumque levatio, propterea quod licere ſibi eas una perferre intelligerent. Poſtero die, qui fuit prid. nonas, vocati ad ædes judicum noſtri ſacerdotes, moleſtiſque percuntationibus aliquamdiu fatigati, juſſi demum fuerunt, ut ſeparatim eorum quiſque nomina ex tabulis baptizatorum quaterna, aut quina deſcriberet. Quod eo conſilio factum eſt, ut, num exemplā congruerent, in-

intelligeretur. Exemplorum ſumma conſenſione deprehenſa, jam omnes tabulas judices exſcribi voluerunt, quibus nomina hominum MMDCXVII. continebantur. Hujus mandati hæc una fuiſſe cauſſa videtur, quod ex iis tabulis Pro-Rex ſeſe aliquid cogniturum exiſtimaret, quo Europæos tentatæ defectionis reos ageret; nam tabulas quoque ab oppidorum principibus conſcribendas curaverat, quibus tabulis chriſtianorum in oppidis ſingulis incolentium nomina indicarentur. Sed puduit hominem malitiæ, improbitatiſque ſuæ, ubi maximam eorum partem pueris, feminis, ſenibus, leproſis, infantibuſque, iiſque etiam, qui vita functi fuiſſent, contineri comperit, qui in ſuſpicionem venire defectionis propter corporis infirmitatem nulla ratione poſſent. Nonis rurſus adducti in judicium Europæi fuerunt, ut ex omni ſupellectile, quæ fuerat Fo-gani intercepta, ſuas res quiſque cognoſceret; quod cum facerent, tum quid ad ſingulos pertineret, in ſcripta referebatur. Denique in carceres reducti ſunt. Quo tempore Sanſio, propterea quod ab judicibus, num rem quotidie divinam faceret, interrogatus, affirmaſſet, decem alapæ inflictæ fuerunt. Illi enim cum doctos ſe eſſe arbitrarentur, inque calendario Sinico nonniſi dominicos, feſtoſque reliquos dies notatos cernerent, con-

convictum mendacii hominem existimabant. Inde ab die non. sept. ad diem XII. kal. octobr. omnis intermissa quæstio est.

Rationes afferûtur, quâobrem omnia in hoc commentario diligenter sint describenda.

XXXVIII. Non dubito fore plerosque, qui hoc genus scripturæ prolixum judicent, quum easdem plerumque interrogationes, responsionesque distincte, minutimque descriptas legent. Sed hi, si animadvertant incitari ad pietatem, virtutemque colendam christianos posse, qui considerent summam, æquabilemque sacerdotum Europæorum in tot, tamque molestis, pleniſque fastidii quæstionibus subeundis constantiam, non admirabuntur nos in iisdem referendis, repetendisque rebus fuisse scrupulosius, quam aliqui fortasse vellent, versatos. Accedit quorumdam licentia, qui nimium sua doctrina confisi, horum Christi Servatoris testium agendi, respondendique rationem reprehendere auderent; quæ sane licentia in eam nos sententiam induxit, ut quæstiones quasque diligenter describendas, resque omnes in quæstionibus gestas, dictasve compendio summa fide explicandas existimaremus, ut in populum veritate rerum enunciata, Europæi quique christiani recte instituti dijudicent, quo sit loco habenda illorum adversus nostros lata in Sinis censura, quorum aut proclivior ad credendum animus fuit, aut nimium præjudicata opinio.

XXXIX. Et-

Nocti quotidie ad ædes judicum, tabulas descripturi, vincti ducuntur; iisque judices, rursus instituta quæstione, verba dãt: tum Royum, & Serranum arũdine, Diazium alapis cædunt.

XXXIX. Etsi erant quæstiones, ut supra demonstravimus, intermissæ, nihilo secius molestiis nostri minime levabantur. Quotidie ad ædes judicum tabulas, quemadmodum dictum est, describpturi, e carceribus, vincto catenis collo, uno Serrano manicis etiam constricto, ducebantur. Cumque itus illis, redituque quotidiani essent, instare tamen assidue operi, celeriterque facere cogebantur, neque cibi quidquam ante solis occasum, quo tempore reducebantur in carceres, sumebant. Perfecto opere, die XII. kal. octobr. judices Europæos quinque, christianosque litteratos sex ad se adduci jusserunt. His, dum judicium redintegraretur, Mandarini confirmaverant, caussam facilem in locum esse deductam. Quare, quod metuant, nihil esse. Hoc unum Pro-Regem velle, ut levioribus quibusdam de rebus ex eis quæratur. His dictis rebus, reliquos exire, Royumque manere imperarunt. Hoc præter cætera ex solo percuntantur, pecuniane animos sibi christianorum conciliasset? Id cum ille negaret, qua ex re, quærunt, tantus illorum in Europæos amor existeret, ut eos captos, abeunteque lacrimis prosequerentur? Ad hæc Royus: Christianos Europæis magistris uti, ex quibus discerent, quemadmodum consequi felicitatem sempiternam possent; neque esse propterea,

cur

cur ipſi admirarentur, quod tantum eſſe in eos cernerent ſtudium chriſtianorum. Hoc dato reſponſo, judices humi proſterni hominem, nudatumque decies arundine cædi jubent; renovatiſque ad ictus ſingulos percuntationibus, frangere ejus conſtantiam conantur. Quem cum neque artibus, neque cruciatu vincere potuiſſent, Serranum advocant, ab eoque continuo, quod antea ſæpe fecerant, exquirunt, num mortuorum oſſa diſtribuiſſet? Negantem, uti Royum, proſterni, parique crudelitate cædi jubent. Eadem ex Diazio petunt; atque ab Serrano ſaltemne diſtribui oſſa viderit, ſciſcitantur, recuſantemque fateri alapis quindecim cædi imperant. Denique Sanſio, & Alcobero, etſi alter ſimilia eorum, quæ dicta ab Europæis cæteris fuerant, reſponderet; alter vera eſſe inficiaretur, quæ judices affirmabant, devinxiſſe ipſum ſibi largitione pecuniæ illius populi, apud quem diverſatus fuerat, principem; nihil tamen damni afferendum putarunt.

XL. Dimiſſis Europæis, Dominicum Vuen-chieum, qui erat ex ordine litteratorum, judices accerſunt, interrogantque, quemadmodum, cum domi uxorem, nuruſque haberet, hoſpitio tamen Europæos exciperet. Ad hæc ille: Europæis quidem ſé, reſpondit, non mulieres miniſtrare, bonoſque viros Europæos eſſe, in

Dominicus ſenex ad quæſtionem adducitur, fortiſque in ſententia manet: ſed chriſtiani aliquot a Chriſti fide deſciſcũt. Judices Royum pleraque in-

quos

terrogãt, hortanturque, ut socios induc at, ut de distributis mortuorum ossibus fateãtur.

quos suspicio mali cadere non posset. His omissis, ad Confucium veniunt, atque huncine, avosque, falsumque Koan-lo-ye numen colat, interrogant. Quorum ubi ille nihil se venerari dixit, judices irati minari flagella cœperunt. Tum ille: ego vero, inquit, consenui, brevique me arbitror moriturum. Itaque parvi refert, etiam si crudelissime cæsus inteream. Nihilosecius mandarini cædendum hominem non putarunt, quod provectæ illius ætatis (natus enim annos septem, ac septuaginta erat) rationem habendam arbitrarentur. Similia ab ceteris litteratis viris percuntati sunt. Horum aliqui, etsi primum neque Confucium ab se, neque Koang-lo-ye coli palam dixerunt, post tamen flagris alii quinquies, & vicies, alii quindecies cæsi, nutare animo, atque concidere cœperunt, & victi denique falsum numen veneraturi proficiscuntur. Unus omnium Sinensium, qui eo die victoriam adversus ethnicos reportarit, Dominicus senex fuit, cujus est auctus improbitate judicum triumphus, quod lapsis viris litteratis reliquis, studio, speque illius quoque superandi incitati minarentur, ni cultum idolo, Confucio, atque avis adhiberet, sese filium illius comprehendi, coramque eo ad mortem usque flagellis cædi jussuros. His enim comminationibus, quum ne leviter quidem com-

mo-

motus eſſet, reſpondit: facerent quod luberet; ſe namque hominem chriſtianum numquam de ſententia receſſurum. Judices quæſtionem reliquam in tempus pomeridianum differunt, & fatigatos, verberibuſque afflictos Europæos in ſalutatorio cubiculo interea manere jubent. Cumque ibi ad veſperam detenti eſſent, reliquam diei partem judices in moleſtiſſimis percuntationibus conſumſerunt, quærentes ex Royo de annorum putandorum ratione, qua Europæi uterentur, hominemque hortantes, ut ſociis perſuaderet, ut diſtributa ab ſe mortuorum oſſa, ſin minus chriſtianis ſingulis, at ſuis ſaltem fautoribus, confiteantur. Ex ea enim re nullum ſeu Sinenſes chriſtianos, ſeu ſacerdotes Europæos incommodum accepturos. At Royus, qui, res quorſum evaderet, intelligebat, ſe imperata nunciaturum promiſit; ſibi tamen judices etiam, atque etiam perſuadeant, numquam id fore, ut ſocii ea, cum ſint falſitatis plena, confirment. Tali modo abſoluta quæſtione, omnes ad veſperam in carceres ſunt reducti.

XLI. Ad diem IV. idus octobr. inſignes crudelitate mandarini Chang-Puhienus, & Kien-Ning-hienus, qui tantopere chriſtianos exagitaverant, poſtremam de his quæſtionem inſtituunt. Ergo omnes adduci in judicium imperant. Diazium primum omnium accerſunt. Quæ-

Diazius, Serranus, & Sanſius alapis plectuntur; ac Sãſius de portitoribus, ubi eſſe judicibus exploratſi cognoſcit, fatetur.

runt

runt ex ſolo, quidnam ſinicæ quaternæ hæ litterarum notæ panno inſcriptæ, qui pannus uſui altari erat: *Chu, Pao, Chung, Pang*, ſignificent? Cumque ille hunc eſſe omnino earum ſenſum diceret: *Serva Domine Sinarum Regnum*, ei continuo, quaſi irati ob reſponſionem eſſent, colaphos decem incuti faciunt. Quinque mox infligi Serrano imperant, propterea quod uſus eadem interpretandi ratione fuiſſet. Inde durius eos increpare aggrediuntur. Nam ſi ſcribi curaſſent: *Domine ſerva chriſtianos*, ferri id quidem potuiſſe ajunt; quod autem ſcripſerant: *Domine ſerva Sinenſe Regnum*, ferri nullo modo poſſe. Deinceps immutato ſermone, Serranum interrogant, quiſnam ſubſidia Europæis in Sinam annua importet? ipſe, prout inter noſtros antea convenerat, ne mentiretur, neu quempiam proderet, propterea quod neque legitime interrogaretur, neque ceteros veniſſe in cognitionem ethnicorum putaret, tacereque de aliis fas ſibi eſſe perſpiceret, Cantonenſibus duobus adoleſcentibus ſe, ſocioſque portitoribus uſos reſpondit, deniſque ob eam reſponſionem alapis cæſus eſt. Deprehenderant jam mandarini, vinctoſque tenebant adoleſcentes illos quatuor, quibus auxiliorum ſupportandorum datum negotium fuerat: quæ res ſacerdotes noſtros latebat. Inducto deinde Royo acta oſten-

oſtenderunt, quæ miſſa ab Fo-ganenſi Mandarino fuerant, quibus nomina ſingulorum continebantur, oſtendebaturque, omnes in carcerem fuiſſe conjectos. Poſtremo Sanſium advocarunt, eumque, quod fateri de puerorum nominibus primum nollet, quindecim colaphis cædi fecerunt. Quem ubi Royus nudum, humique proſtratum, moxque flagellis cædendum vidit (quoniam pueris, qui capti, convictique jam eſſent, nihil afferri incommodi poſſe, ſi noſtri faterentur, cognorat) ut eriperet tormento Epiſcopum, hunc monuit, rem eſſe judicibus compertam, neque eſſe, cur celandam putaret. Itaque aperte Epiſcopus puerorum nomina exponit, idemque poſt etiam Alcoberus agit. Cum Mandarini interrogandi finem non facerent, eaque percuntari pergerent, quæ ad rem nihil, ad afferendam vero noſtris moleſtiam plurimum pertinerent, Sanſius inſtinctu quodam ſuperiore permotus, concitata voce; obſecro, inquit, judices, moleſti eſſe deſinite. Nam ſic habetote: noſtrum, qui adſumus, reum criminis eſſe neminem. His rebus dictis, proſtravit ſe humi, atque me, inquit, occidite. Mandarini hanc tantam animi virtutem, fortitudinemque mirati, quamvis erat, qui Epiſcopum ruſticis eſſe moribus diceret, tamen quæſtionem, cruciatumque, quem horis jam quinque aſperis lapidibus

innixi genibus noſtri pertulerant, intermittunt. Interim Sanſio, atque Serrano, hujuſque hoſpiti Joſepho, niſi de diſtributis mortuorum oſſibus confiteantur, trinum ad talos tormentum minantur. Poſt viris, feminiſque chriſtianis evocatis, interrogatiſque, eſſent ne illorum nomina in tabulis baptizatorum deſcripta, concilium dimiſſum eſt.

Thomas Sanchesius Sinénſis ſacerdos noſtris ſubſidio venit; ſed horum hortatu mox domum revertitur.

XLII. Eodem fere tempore a. d. VII. kal. novembres, Thomas Sancheſius ſacerdos natione Sinenſis, Siamenſiſque Seminarii Gallorum alumnus, qui propagandæ religionis cauſſa miſſus fuerat, Focheum venit. Is etſi ſenex erat, ætatis namque annum octogeſimum agebat, periculis tamen, in quæ ſe conjectum intuebatur, deterreri non potuit, quin eo ſe, omni officio; ac pietate militibus Chriſti operam utilem daturus, conferret. Nam veſtes, pecuniamque attulit, quibus extremam eorum inopiam levaret. Sed noſtri, qui triduo ante auxilia a chriſtianis Fo-ganenſibus accepiſſent, gratias, quas maximas poſſunt, homini agunt, ac perpetuo habituros recipiunt; tum rogant, ut, quoniam hoſtes per id tempus maxime ſæviunt, quam celerrime poteſt, ad urbem Hing-hoam revertatur. Demonſtrant ipſum, quod ætate ſit adeo gravi, ſi in hoſtium poteſtatem veniat, quæ eum manerent, incommoda non laturum. Itaque abeat,

abeat, ſibique conſulat. Nam ſi quid eorum cuiquam ex uſu fuerit, facturos ſe eum continuo per litteras certiorem, ſubſidiumque opportune poſtulaturos. Thomas conſilium eorum, quod tam prudens eſſe perſpiciebat, ſequutus, cum biduo Fo-chei moratus eſſet, eo revertit, ubi ante degere conſueverat. Atque ſe quidem ſæpe offeret ſumma noſtra voluntate opportunitas faciendi magna & laude, & grati animi ſignificatione caritatis in noſtros, virtutiſque Alumnorum Siamenſis Collegii mentionem.

Cauſſæ chriſtianorũ alii judices præficiuntur, qui brevi facta quæſtione, ónes dimittũt.

XLIII. Etſi de chriſtianis quæſtiones habere ethnici ceſſarant, nihilominus immitibus Mandarinis duobus, de quibus diximus, alii item judices, ut eſt Sinenſium conſuetudo, ad eamdem cauſſam, antequam abſolveretur, cognoſcendam ſucceſſerunt. Ergo die IV. nonas novembres omnes apud Præfectos urbibus Fo-cheu, & Yen-pin in judicium vocantur. Inductos primum Europæos quinque judices de nomine, de ætate, tum de dignitate Epiſcoporum, deque eorum, quos *Miſſionarios* dicimus, munere interrogant. Quærunt denique num ad Sanſium quotannis CL. nummum argenteorum, quos Hiſpani *pezos* appellant, ad reliquos C. mitterentur? Quibus de rebus quum ipſi ita, uti decebat, reſpondiſſent, continuo, ut abeant, jubentur. His chriſtiani ſuccedunt, qui ho-

ſpitio noſtros exceperant . Interrogantur , Europæi ne in eorum domibus habitarint ? affirmant , moxque jam dimittuntur . Poſt judices quinque litteratos Sinenſes advocant, eademque ex his percuntantur . Negant hi , diverſatos umquam apud ſe fuiſſe Europæos . Interrogati deinde , num eos, quod Chriſto ſe dedidiſſent,pœniteret, abnuunt . His excedere juſſis , chriſtiani , qui nullum dignitatis gradum obtinerent , quinque adducuntur.Quæritur ex his etiam manere ne in fide velint, quam Chriſto dederint ? Affirmantibus , abite , inquiunt judices , dementes ſervi . Tot enim cruciatus pertuliſtis,chriſtiani nominis cauſſa, audetiſque in ſuſcepta religione perſiſtere ? Mox quibus cæremoniis noſtri initiari baptiſmo ſolerent percuntati , quum id chriſtiani fieri fundendo aquam , recitandoque verba , quæ Chriſtus Servator præſcripſerat , reſpondiſſent ; deferri ad ſe jubent quatuor adoleſcentes illos , quos ſubſidia importare conſueſſe docuimus; ex quibus cum intellexiſſent , quam diu ſuam operam Europæis locaſsent ; quærunt tandem , velint ne ab inſtitutis chriſtianorum deſciſcere , neganteſque dimittunt . Poſtremo viduam Mariam-Hyam , virgineſque , de quibus ſupra demonſtravimus , quinque introduci jubent . Ex his , fuerit ne ulla ipſis cum Europæis minus honeſta conſuetudo , in-

qui-

quirunt. His nullam fuiſſe reſpondentibus, quærendi finis eſt factus, cum hora omnino quæſitum eſſet.

XLIV. Jam prope erat, ut innocentum chriſtianorum cauſſa per ſummam injuriam, iniquitatemque, ut mox videbimus, judicaretur. Interim nova de Miſſionariis, de quinque horum hoſpitibus, deque Maria vidua ad diem V. idus novemb. apud alios judices quæſtio eſt inſtituta. Erant hi judices, Quæſitor, quem judicem criminalem vocant, Præfectus ærario, & Quæſitoris Legatus. Hi deferri ad ſe Europæos hoc ordine imperant: primum Sanſium Epiſcopum, tum Royum, poſt Serranum, inde Diazium, poſtremo Alcoberum. E veſtigio, quæ judices alii conſueverant, de ætate cujuſque, deque tempore, quo in Sinis verſati ſunt, quærunt. Converſa mox ad res alias oratione, inquirunt, ſint ne Rex, & Regina Hiſpaniarum, quique his parent, omnes addicti chriſtianæ religioni? Poſt, viderintne ipſi aliquando Deum, aut cujuſquam animum? & quo ex tempore Dei verbum humanam ſibi naturam conjunxerit, quidque cauſſæ habeant, cur venerabilis viri Capillæ oſſa ſervanda putent, quantumque in annos ſingulos ad eos pecuniæ mittatur; ac futurumne, ſi in Europam revertantur, ut Rex in eos, vel Pontifex Maximus animadvertat:

Rurſus apud alios judices Sacerdotes adducti, iis decreta chriſtianæ religionis explicant; tũ de hoſpitibus illorũ, deque vidua Maria-Hya quæſtio habetur.

quamnam ipsi ibi dignitatem obtineant; denique, ut leviora multa prætéream, cur enunciandæ Sinensibus legis christianæ caussa, tot subire ærumnas, tot, tantasque perferre calamitates voluerint, rogant. Ad hæc nostri ita, ut illis concessum divinitus est, responderunt. Promisit enim Christus iis, qui se coram principibus confessi essent, ipsum se eorum lingua locuturum. Cumque judices miti, bonoque ingenio essent, commodum nacti nostri opportunitatem fuerunt iisdem explicandi, quæ decretis christianæ religionis continerentur. Nihilosecius cum Sansius postremæ percuntationi satisfaceret, magnus eorum risus est factus, quod ille dixisset, pati se, ut animæ cujusquam hominis jacturam æternæ salutis faceret, non posse. Dimissis Europæis judices hospites illorum quinque, viduamque Mieu-Mariam-Hyam advocant. Petunt, num hospitio Europæos exceperint: Fatentur nostri. Sumunt judices, eos ne, quod Christo suam obligassent fidem, pœniteat? Nihil minus, vincti respondent. Rogant denique, num retinere in posterum tempus instituta christianorum velint? Cum christiani affirmassent, quod horas quatuor interrogando judices consumsissent, quæstio absoluta est.

Extrema de christianis quæstio a Pro.

XLV. Jam tempus advenerat absolvendæ æquissimæ, sed per summam injuriam

riam

riam peſſime actæ cauſſæ chriſtianorum. Præfuit ei judicio Cheu-Hio Kienus Pro-Rex, qui ſummam rerum omnium poteſtatem, quam ſibi arrogare reguli Focheu Pro-Reges ſolent, cum implacabili in chriſtianos odio junxerat. Iis omnibus, qui in carceres contruſi religionis cauſſa erant, ad X. kal. decembres dictus eſt dies. Ubi ea dies venit, primi omnium inducti ſunt fures tres, in quos incredibili comitate, clementiaque uſus judex, mitiſſime decrevit, omnemque ſeveritatem contra innocentes chriſtianos adhibendam ſervavit. Atque eorum quidem, quæ in judicio ſive quæſita ab judicibus, ſive dicta a noſtris fuerunt, quoniam multa ſæpe in hunc locum, ne eadem repetere videremur, Serranum ſecuti, rejecimus, nunc fuſius omnia perſequemur. Quorum tamen copiam his, qui legent, quod & poſtrema hæc eſt habita de chriſtianis quæſtio, & præclariſſimum de conſtantia ſacerdotum Dominicanorum, tum aliorum etiam chriſtianorum teſtimonium exhibet, minus moleſtiæ allaturam exiſtimamus.

Rege inſtituitur, qui, latronibus mitius habitis, ſævire in noſtros conſtituit.

XLVI. Primus, qui in judicium vocaretur, Kuo-Ambroſius Hy-inus fuit. Nequa vero ex Sinicis nominibus diſtinguendorum hominum difficultas oriatur, animadvertendum eſt, Sinenſes hac uti nominum ratione, ut priore loco nomen,

De ratione Sinenſiú nominum, deque Ambroſio Hy-jino ad tribunal ducto, crebriſque alapis cæſo.

tum prænomen, quod impoſitum chriſtiano in baptiſmo eſt, poſtremo prænomen alterum a parentibus inditum ponant. Ergo ex Ambroſio a Pro-Rege quæſitum eſt, quamdiu diverſatus apud eum Pe-to-lous fuiſſet? namque hoc modo inflectitur ab Sinenſibus Petri nomen, quo Sanſius vocabatur. Cum annos ille octo reſpondiſſet, tum Pro-Rex, quot ipſe Ambroſius homines, ut myſterio baptiſmi initiarentur, induxiſſet, rogavit; cui Ambroſius, viginti, reſpondit. Sed Pro-Rex, cum tantulus, inquit, is numerus ſit, quemadmodum plus, quam duorum millium baptizatorum nomina tabulis continentur? Ille vero, eas tabulas ante annos duos, ac quadraginta, deſcribi cœptas, eiſque nomina comprehendi ſeu vivorum, ſeu mortuorum, infantium, ſenumque: ſe vero jam inde a puero (nam de hoc etiam hominem Pro Rex interrogarat) baptiſmo fuiſſe initiatum, annumque, quo id contigerit, aliaque hujus generis reliqua, memoria non tenere, dixit. Poſt hæc judex, ideone ipſe chriſtianiſmum coleret, quæſivit, ut defectione civium, quam Europæi molirentur, muniret ſibi in eo Imperio ad magiſtratum aliquem capeſſendum viam? Quam cum ille calumniam propulſaſſet, ſeque, ſocioſque religionis tale aliquid ne cogitaſſe quidem umquam, dixiſſet; id-

circo

circo enim ſuſcepiſſe inſtituta chriſtianorum ſe, ut Deo obſequi, utque aditum ſibi ipſe expedire ad vitam ſempiternam poſſet, Pro-Regis juſſu quinque colaphis cæſus fuit. Inde exprobranti judici, cupiditatem pecuniæ in cauſſa eſſe, quamobrem Europæis morigeraretur, quantumque ab eis in ſingulos annos acciperet, quærenti, reſpondit: ſe ne obolum quidem ab Europæis petiiſſe, neque Europæos illius pecunia, neque ſe illorum uti conſueſſe. Sed Pro-Rex rurſum interrogans petiit: ſi neque rebus novis ſtuderet, neque lucrum pecuniæ faceret, quid ergo eſſet, cur leges Europæorum conſectaretur? Ad hæc Ambroſius, quod illi, inquit, me colendæ virtutis, quod effugiendi poſt mortem ſupplicii, quod conſequendæ ſempiternæ felicitatis rationem doceant. Hac tanta conſtantia commotus, atque ira inflammatus judex, infligi iterum homini quinque alapas juſſit, cumque monuit, ſi de civium defectione fateretur, liberum abiturum, ſin minus, capitis condemnandum ſciret. Ambroſius nihil his minis territus, rebellionis ne veſtigium quidem eſſe ullum dixit. Inquireret quam diligentiſſime poſſet judex. Nam ſiquid reperiſſet, quod chriſtianos in ejus rei ſuſpicionem vocaret, libenter ſeſe laceratione corporis laturum. Ob id reſponſum quinis alapis cæ-

cæsus, atque illinc deinde abductus fuit.

Ambrosio Kuo-Lucas-Kiu-jinus, Thaddæus Go-chinus, Josephus Chung-Hoĕyus, & Dominicus senex succedūt, diuque interrogati, alapis cæduntur.

XLVII. Eo remoto, Kuo Lucam-Kin-jinum interrogare Pro-Rex cœpit. Quæsivit primum, quot annis domi suæ Royum hospitio habuisset? quo ex tempore ipse christianismum profiteri cœpisset; atque ab Royo ne, an ab alio initiatus baptismi mysterio fuisset? Lucas, de hospitio se, quod judex sciscitaretur, non meminisse, respondit. Id ex Royo percuntaretur. Baptizatum se statim pene, atque est natus, fuisse, quo tempore nondum in Sinam Europæi illi pervenerant. At Pro-Rex ad eas interrogationes, quas instituere calumniæ caussa consuerat, veniens; rogavit, idcirco ne ille suam Christo fidem obstrinxisset, ut pecuniam ab Europæis acciperet, an, ut, concitatis turbis, defectioneque facta, cooptaretur in Mandarinorum collegium? Cumque Lucas neque de rebellione, neque de pecunia, aut ambitu agi, seque christianum esse, ut Deo vero inservire, obtinereque ab eo post mortem sempiternam felicitatem posset, dixisset, tum judex, aliquemne ascendentem ad cælum aliquando conspexerit, percuntatus est. Cui ille confidenter, nondum vidisse se quidem quod judex quæreret, dixit, propterea quod vitam hanc adhuc degeret plenam miseriarum: confidere tamen se, fore, ut, ubi vita functus mortali sit, id sibi in-

intueri liceat; ſe namque Europæorum opera attigiſſe cognitionem Dei, ejuſque legibus parere didiciſſe. Quare, ſi faciat, quod didicerit, ſeſe promiſſam chriſtianis gloriam poſt interitum corporis certiſſime conſecuturum. Inſtare tamen adhuc judex, & de numero chriſtianorum quærere. Quos cum Lucas partim infantes, partim integra ætate, omnes numero ad mille, eſſe dixiſſet; tum ille hortari, ut impoſterum chriſtianus eſſe deſineret. Contra Lucas magna animi conſtantia reſpondit: ſe, tametſi periculo capitis, numquam tamen ab fide, quam Chriſto dederit, diſceſſurum. Hujus reſponſi cauſſa quinque illi inflicti colaphi fuerunt. Interim Pro-Rex, ut nova hominem arte circumveniat, ex eo quærit, num Europæus, quem hoſpitio exceperat, uſus uxoris ejus conſuetudine fuerit? id ut aperte fateatur, monet: Si pareat, eum ſe capitis ſupplicio erepturum. Sed hi conatus fruſtra fuere. Nam Lucas, qui nihil præter rei veritatem fateri ſtatuiſſet, falſa eſſe omnia reſpondit; nam ſi talia Europæi auderent, tanta Sinenſes patientia numquam laturos fuiſſe, ut verſari illos in ſuis domibus paterentur. Nunc contra æquo animo ab iis Europæos excipi ſolere, quod illis ſanctæ, beatæque vitæ magiſtris uterentur. Igitur judex, qui nihil extorquere ab eo potuiſſet, ira incenſus, alapis hominem

affligi juſſit, quibus vir innocentiſſimus quinque, & vicenis tanta crudelitate, & ſævitia cæſus eſt, ut e deformata facie magna ſanguinis copia manaret Adducti cum Luca in judicium fuerant Vuang-Thaddæus-Go-chinus, & Ching-Joſeph-Chung-Hoëjus, quorum priore Alcoberus, altero Serranus, & Diazius hoſpitibus uſi fuerant. Cum interrogati iiſdem de rebus eſſent, de quibus ſupra eſt demonſtratum, atque ita plane, uti factum ab aliis erat, reſpondiſſent, alapæ Joſepho decem, Thaddæo vero quindecim incuſſæ fuerunt. Sequutus mox duos illos graviſſimus, ac celeberrimus Chin-Dominicus Vuen-Chie ſenex fuit, quem ita eſt allocutus Pro-Rex: Tu vero, cum ſis peritus ſinenſium doctrinarum, libroſque Confucii, ac Menzu teneas, quemadmodum falſam ſectare chriſtianorum legem? Senex, qui nulla re terrebatur, continuo: Confucius, & Menzu, inquit, nihil de vitæ, mortiſque auctore tradiderunt. Contra Europæi me Deum noſſe, & primam vitæ, ac mortis quaſi radicem; præmia rurſum, atque ſupplicia, & veram rerum omnium originem docuerunt. Ob eam reſponſionem iratus judex, inſanire hominem dixit, quiniſque cædi alapis imperavit. Poſt objurgare hunc in modum perrexit: Tu iſtis legibus vivens aut rebellioni ſtudeas, aut certe pecuniæ ſervias, ne-

neceſſe eſt. Minime vero, inquit ille. Propterea enim chriſtianus ſum, ut Deum colam, eique ſerviens, æterna felicitate potiri poſſim. Sed Pro-Rex, quid? inquit: uſquam ne tu vidiſti Deum? Non equidem vidi, reſpondit ſenex: ſpero autem, ſi modo ejus leges ſervaverim, fore tandem aliquando ut videam, cum e mortali vita exceſſero. Nam ſi in vita bonis propoſita præmia, maliſque decreta ſupplicia ſunt, quid eſt, quod quiſquam, eſſe item poſt mortem hominibus & præmia, & ſupplicia conſtituta, neget? Rurſum Pro-Rex: quam ob cauſſam, inquit, veſtris domibus Europæos excipitis? Cui Dominicus: quod ſint, ait, magiſtri, doctoreſque noſtrarum legum. Nam, quemadmodum, ſublato e ludo Præceptore, continuo ordo ab auditoribus, doctrinaque omnis tollitur, quod doctrina, præceptiſque deſtituantur; ita, remotis Europæis, doctrina nos, atque inſtitutio deficeret, neque ipſi colendæ virtutis rationem retineremus. Hoc dato reſponſo, quinque iterum alapis cæſum magni animi ſenem, convicio Pro-Rex eſt inſectatus, turpiſſimo eum appellans nomine, quod nos nomen ut taceamus, honeſtas ſuadet. Poſtremo ad eum ſe Pro-Rex convertens, annon pudet, inquit, filias habere te domi, quæ Europæis famulentur? Negavit Dominicus, atque incredi-

dibili animi virtute, ac fortitudine, gnatas, inquit, meas miniſtrare Europæo, neque tuli umquam, neque feram. Mihi namque uni famulandi ſacerdotibus onus ſervavi. Atque hoc ille modo, dum pene confecta ætate eſſet, improbitatem, crudelitatemque Pro-Regis vicit.

Hactenus quidem ſingularia planè conſtantiæ, & fidei exempla, repetito ſæpe, uti demonſtratum eſt, periculo, Sinenſes chriſtiani dederant. Sed quemadmodum primis reipublicæ chriſtianæ temporibus, cum noſtri exagitarentur, ubi in diſcrimen veniſſent, infirmi a fortibus, quaſi triticum a palea ſecernebantur; ita afflictis in Sina Eccleſiæ rebus, labi è chriſtianis nonnullos permiſit Deus, ut auxilii ſui in iis illuſtrior vis appareret, qui de tyrannis forti, invictoque animo triumphaſſent.

Chriſtianis XI. in judiciũ adductis, octo ex iis turpiter a religione deſciſcũt; tres reliqui fortes in ſententia perſeverant.

XLVIII. Ac primum quidem omnium, qui fidem fefellerit, Kuo-Petrum-Hyjinum fuiſſe ferunt, qui in judicium vocatus, etſi neque tormentis excruciatus, neque minis territus eſſet; continuo tamen ab religione Chriſti Servatoris ad ſuperſtitionem ethnicorum transfugit. Introducti deinde, poſt Dominici ſenis, de quo ſupra diximus, victoriam, ad tribunal fuerunt Chin Franciſcus-Lanus, Chin-Thomaſ-Xang Ganus, Chin-Nicolaus-Xinus, Chin-Joſephus-Koanus, Chin-

Chin-Dominicus Kieu, qui erant omnes ex ordine litteratorum; Lieu-Margentius-Langus, Lieu-Franciſcus-Xunus, Vuang-Petrus-Onus, Mien-Simon-Kao-Hinus, & Mieu-Thomas-Xang-Cheu. Hi, cum Pro-Rex peteret, eſſet ne ipſis in animo chriſtianam adhuc religionem profiteri pergere, confeſtim omnes, Chin-Thoma-Xang-Gano ex litteratis, ex reliquis vero Lieu-Margentio-Lango, & Lieu-Franciſco-Xuno exceptis, miſerandum in modum conciderunt. Transfugas octo abduci Pro-Rex ſtatuam adoratum juſſit; cui ſacrilegi paruerunt. Tres reliquos ſeparari judex præcepit. Etſi locus, in quo conſtiterant, aliquantum ab ſede judicis remotus erat, ad eoſque ſæpe Aſſeſſores Pro-Regis accedebant, hortabanturque, ut ſe chriſtianos deinceps minime futuros dicerent; ajebantque, ni feciſſent, imperaturos ſe, ut flagrorum ictibus exanimarentur, brevique cubicula domus ſuo ſanguine conſperſa cernerent; noſtri, quin eorum ſimulatam, ſævamque miſericordiam morarentur, fortes in ſententia manſerunt.

XLIX. His rebus geſtis Pro-Rex pueros quatuor, qui ſubſidia quotannis noſtris ſacerdotibus ſupportarant, adduci ad ſe imperavit. Adductos judex rogat, quantum in annos ſingulos deferre pecuniæ ad Europæos, quantumque ab eis ipſi portorii no-

Sacerdotum portitores, quantum pecuniæ detulerint, quantumque ipſis ſit datum, interrogatur.

nomine accipere ſolerent? Illi, Europæis ſingulis quotannis C., Epiſcopo autem CL. detuliſſe ſe, ſibique X. nummum argenteorum, de quibus ſupra memoratum eſt, in ſingulos ob portorium numerari conſueſſe, dixerunt. Ex his nihil deinceps quæſitum fuit.

Pro-Rex mulieres ad tribunal duci imperat: Mariam Hy viduam, quod hoſpitio Europæos exceperit, reprehendit, eidéque tormentũ minatur; exque virginibus Dominicanis de turpiſſimis rebus quæritat.

L. Tali modo cum de Sinenſibus viris quæſtio eſſet abſoluta, vocatæ in judicium mulieres fuerunt, inter quas primum Maria-Hya vidua locum tenuit. Ex ea cum percuntatus Pro-Rex fuiſſet, quemadmodum, mortuo marito, Europæum in ſuis domibus occultaſſet, nihil extorquere potuit, quod eſſe noſtris detrimento videretur. Sed etſi rem illa negabat, neque jam ex veſtibus, & reliqua Sanſii ſupellectile, quæ deprehenſæ apud eam fuerant, convinci poterat, quod eas domum aliena opera advectas, ſervaſſe dumtaxat ſe confirmaret, nihilominus eam judex cruciari tormento imperavit. Ubi illa manus in tormentum conjecit, continuo Pro-Rex militibus, ut ceſſarent, juſſit: quo tempore ipſa incœptam orationem perſequuta, habitaſſe quidem apud ſe Europæum, quum maritus viveret, affirmavit: hoc autem mortuo, non item. Interrogantique Pro-Regi, qui homines Europæi illi eſſent; atque, niſi ut illorum familiaritate per impudicitiam abuteretur, quam eos ob cauſſam hoſpitio excepiſſet;

piſſet ; homines eſſe Europæos, reſpondit, caſtis, ſanctiſque moribus, idque contendere, ut inſtituant reliquos homines, doceantque rationem, qua conſequi gloriam, felicitatemque ſempiternam poſſint. Se vero neque voluiſſe, neque potuiſſe iis ad libidinem uti, quæ deducat homines ad brutorum conditionem. Poſt viduas dimiſſa, adductæ in judicium virgines fuerunt, quas ſupra diximus, quinque, Kuo-Thereſia-Chuna earum maxima, Kuo-Aloyſia-Xa, Kuo-Lucia-Hieu, Mieu-Johanna-China, & Chin-Roſa-Kueya. Vetat autem pudor dicere, quod primum ex ipſis quæſitum a Pro-Rege fuit. Itaque deſcribemus, quod eſt ab illis reſponſum Pro-Regi datum. Ergo illæ: colere virginitatem ſe, quam jam inde ab infantia dicaſſent Chriſto, taleſque turpitudines ne noſſe quidem, dixerunt. Neque tamen hæc virginum pudicitia, atque in reſpondendo modeſtia tanti fuit, ut judicis licentiam reprimeret, quin nimium inverecunde adhuc de ſufflationibus interrogaret, quarum pro ſua ipſi improbitate Europæos accuſabant : & quamquam tubulis iis, ex quibus calumniandi ſumta occaſio fuerat, pedum Sanſii contineri virgines affirmarent, quo, pro ſacrorum celebritate, inſigni Epiſcopus uteretur, ad ſufflationes vero hujuſmodi illius uſum eſſe omnino nul-

nullum ; ipsis tamen judex impudentissimus diu multam interrogando molestiam exhibuit, eo usque progressus, ut Theresiæ tormentum manuum ostentaret. Sed eo cruciare miseram noluit.

Pro-Rex donũ ab Imperatore recepturus, quæstioné intermittit. Christiani tres tormentũ effugiunt. Pro-Rex, ne Sacerdotibus quidquam interim cibi detur, cavet; omniumque nomina describi jubet. Trásfugæ octo imaginem Christi conculcant.

LI. Supererant adhuc ad quæstionem Dominicani. Interim nunciatur Pro-Regi, adventare, qui munus ei ab Imperatore missum deferret. Ipse continuo suis imperat, ut, quæ essent ex usu futura ad recipiendum donum, compararent, & magnifico apparatu, cunctis urbanis Mandarinis comitantibus, Imperatoris legato obviam venienti procederent. Quæ res in causſa fuit, ut judicium de Europæis in crastinum differretur, hominesque christiani tres, qui, quod deficere ab Christi fide constanter renuissent, damnati flagris fuerant, fortuito supplicium effugerent. Dum Pro-Rex quæ ad apparatum, de quo dictum est, pertinerent, ut honorifice munus reciperet, disponebat; de cruciandis christianæ religionis propagatoribus cogitabat, suosque monebat, ut diligenter caverent, ne quid illi cibi coëmerent, etsi erant adhuc jejuni. Antequam legato Imperatoris obviam iretur, reversus Pro-Rex ad tribunal, omnes adduci eodem jussit, de quibus latum judicium fuerat, ac suum cuique nomen, ut in pagina describeret, imperavit; cui paginæ primum hæc verba inscripta erant:

Anno XI. Imperatoris Kien-Lung, luna X. Poſt nomina ſecuta ſunt chriſtianorum. Sed ii octo, quos, ejurata Chriſti religione, adoraſſe ſtatuam demonſtravimus, antequam nomina deſcriberent ſua, Chriſti ejuſdem cruci ſuffixi imaginem conculcare ſunt juſſi (nam quatuor, quinqueve imagines ejuſmodi in ipſo majori tribunalis cubiculo tenebantur) unuſque omnium ſceleſtiſſimus Chin-Dominicus-Kieu, cui ſcabie corpus, multo autem magis animus vitiatus, infectuſque erat, preſſam pede imaginem fregit: reliqui, quorum magis infirma, quam prava voluntas erat, ita pedes tulerunt, ut imaginem tranſgrederentur, nec tangerent. Nefario ſcelere a transfugis admiſſo, chriſtiani omnes, cum horis quinque aſperis lapidibus genu innixi conſtitiſſent, rurſus in carceres abducti ſunt.

LII. Poſtero die, qui dies erat ad IX. kal. decembres, Europæi mature ſunt in judicium inducti, eodemque Pro-Rex e templo reverſus, quo ſe, pro ſingularibus, quibus auctus ab Imperatore fuiſſet, beneficiis, gratias diis acturus, contulerat, venit. Ac primo quidem Sanſium ad quæſtionem vocavit, qui quaſi agmen Chriſti Servatoris militum ducebat. Is, quot natus eſſet annos, interrogatus, ſex ſupra ſexaginta, reſpondit. Rurſum, cum ex eo Pro-Rex quæſiſſet,

Pro-Rex Sānſium evocat; dequeeo quæſtionem moleſtiſſimam ad multum tempus producit: tormenta, ac ſupplicii capitis minatur, ac ſæpe hominem alapis ſæviſſime cædi jubet.

quot annis in Sina verſatus eſſet, annis, inquit, duobus, & triginta; eſſe autem Hiſpanum e Catalonia Provincia ſe, nam hoc etiam ab homine percuntatus judex fuerat. Pro-Rex, cum facta eſſet Hiſpaniæ mentio, quod eſſet Regis Hiſpaniarum nomen rogavit: cui noſter Philippum appellari eum dixit. Nam, quod hoc eodem anno ad diem VII. idus julias Rex obiiſſet, nondum ejus rei nuncium Sinenſes acceperant. Ventum mox ad Pontificis nomen fuit. Hunc Sanſius Benedictum vocari reſpondit. Ubi cognitum de nominibus eſt, Pro-Rex, uter ei, ut in Sinam contenderet, auctor fuiſſet, Rex ne, an Pontifex, quæſivit. Negavit utrumque Sanſius; addiditque, ſponte ſe, non juſſu, neque hortatu aliorum veniſſe, ut procurare ſalutem animarum poſſet. Perſequitur cœptam quæſtionem Pro-Rex. Quærit, num per Philippinas inſulas, cum in Sinam navigaret, tranſierit: quod cum Epiſcopus affirmaſſet, hunc rogavit, quiſnam eiſdem in inſulis imperio potiretur? Epiſcopus nil cunctatus, Rex, inquit, Hiſpaniarum. Mox Pro-Rex, ſtudio ne, inquit, concitandæ plebis, ut ab Imperatore deficiat, Sinam petiſti? Negavit noſter, ac, nihil nos, ait, tale vel conati ſumus, vel umquam conabimur. Quid enim? quum anni ſint amplius centum, ex quo in divinis legibus inſtituere

noſtri Sinas cœperunt ; an quidquam eſt tale de nobis uſquam auditum? Pro-Rex iratus, ad milites ſeſe convertit, ac torqueri hominem imperavit. Ubi vir fortis imprimis, invictoque animo, tormenta parari vidit, humi ſe continuo excruciandum proſtravit, ſed tamen ſatelles unus ictu eum calcis appetens, ut ſurgeret, juſſit; neque enim imperaſſe tormentum Pro-Regem, ſed minatum tantum fuiſſe confirmavit. Rurſum Pro-Rex, quo tandem modo, inquit, cum tam longe ab Hiſpania Luzonia, ſeu Manila inſula abſit, eam Rex gubernet? quid ex ea illi in annos ſingulos redit? His Epiſcopus reſpondit: nihil redire inde ad Regem, neque hunc commodi aliud capere, niſi quod æterna hominum ſalus procuraretur: cujus rei gratia multa millia nummum in incolas, qui magna inopia laborent, ab Rege erogari. Sed inſtitit Pro-Rex: & veſtri, inquit, imperii homines ſunt ne omnes chriſtiani? Affirmavit Sanſius, atque ab Rege quidem ad abjectiſſimum quemque infimæ plebis. Suntne apud vos, ſubdidit Pro-Rex, milites, & magiſtratus, ac judices, ita ut ſunt in Sina? Quum Epiſcopus annuiſſet, tum ille; Cum fueris in Europam reverſus, adibiſne ad Regem, atque ad Pontificem? An iſti te dignitate aliqua augebunt? Sanſius, ut incredibili moderatione, gravitateque animi erat, recta me, inquit, in

meum cœnobium conferam. Non enim de Rege, aut de Pontifice laboro. Dignitates autem, magiſtratuſve ſimiles mihi regnorum eſſe videntur, quæ exhiberi in theatris ſolent; nam ſcena abſoluta, omnia confeſtim evaneſcunt. Hac re dicta, Pro-Rex hominem quinis alapis plecti juſſit, quaſi loquutus eſſet ſtultorum more: indeque ad Epiſcopum verſus: atqui, ait, ſi neque de dignitate, neque omnino de præmio laboras, quid ergo te impulit, ut, ſpretis incommodis, quæ laturus eſſes, in Sinam proficiſcerere? Ego vero, reſpondit Sanſius, non inanium rerum, quæ cito intercidant, ſed ſpe conſequendæ ſempiternæ felicitatis permotus, propagandæ chriſtianæ religionis cauſſa veni. Sed Pro-Rex, qui ignarus decretorum Evangelicorum eſſet, quanam in re poſitum eſſet ſempiternæ felicitatis præmium, quæſivit. In cognitione Dei, reſpondit Sanſius, quam ſequitur amor, ex quo ſempiterna, incredibiliſque delectatio, atque felicitas oritur. Perſtitit Pro-Rex, rurſumque interrogavit, ſint ne ædes in cælorum regno? At Sanſius, diverſæ, inquit, prout quiſque, cum viveret, eſt meritus, in cælo ſunt manſiones. Si cum iis manſionibus ædes, quibus utuntur in terris homines, comparentur, tanti æſtimandæ ſunt, quanti loculi formicarum. Commotus ad hæc ju-

judex, insanire hominem, quare alapis quinque cædendum, dixit. Mox Sansium alloquens, in Europa, ait, quis rèm christianorum publicam moderatur, Rex ne, an Pontifex? Verum Sansius: quæ ad rem civilem, terrenumque regnum pertinent, inquit, Rex moderatur, Regique tributa penduntur: quæ vero ad doctrinam, rationemque dirigendorum, ducendorumque ad vitam sempiternam animorum spectant, hæc a Pontifice administrantur. Pro-Rex, ut erat vaferrimus, ratus ab se implicari laqueis interrogationum senem posse: In Sina, inquit, omni, si veram religionem amplecteretur, quisnam imperium obtineret? Ad hæc continuo vir prudens, Imperator, inquit, idem, qui modo obtinet. Post, cum Pro-Rex ex eo percuntatus esset, omnes ne Macai incolæ christianam religionem profiterentur; ipse vero, cum secundo ad Sinam veniret, an Macao profectus esset; respondit, Macaënses omnes christianis partibus studere, parereque Regi Lusitanorum; seque ita, ut judex dixerat, in Sinam iterum venientem Macao fuisse profectum. Pro-Rex incœptam quæstionem persequutus, quot anni essent, rogavit, ex quo reverterat in Sinarum Imperium? Ille, octo, respondit. Jam captum esse Episcopum Pro-Rex putabat. Itaque continuo sumsit; Quæ ista fuit au-

dacia, ut Sinam repeteres, cum edicto Imperatoris veſtram eſſe legem, ut falſam, proſcriptam ſcires? Atqui falſa ut ſit, inquit Sanſius, fieri omnino non poteſt. Lata enim a Deo eſt, qui cum ſapientiſſimus, optimuſque ſit, & falli, & fallere prorſus nequit. Hoc reſponſo repreſſus judex, alio convertit orationem, quæſivitque, ubinam Deus conſiſteret? Cui Sanſius: eſt ille, inquit, ubique; heic adeſt, atque tuo etiam in corde. Pro-Rex ad ſatellites converſus, quinque, inquit, colaphis eum rurſus cædite, nam inſane loquitur. Inde ipſum interrogans ſubdit; ſi adeſt heic Deus, quid eſt, quod tibi eſſe adjumento nolit? Atqui adjuvat ille me quidem, Sanſius reſpondit: nam quod injurias, ærumnaſque iſtas, quas majori mihi merito ad coronam futuras confido, fortiter, patienterque feram, id ſum equidem illius beneficio conſequutus. Perrexit Pro-Rex, rogavitque, viderit ne umquam Sanſius Deum? Negavit noſter, atque, Deus, inquit, propterea quod ſpiritus omnino ſit vacans corpore, hiſce oculis cerni non poteſt. At impius judex, quemadmodum, inquit, ei fidem adhibeas, quem numquam videris? Cui Sanſius: ne vos quidem, ait, Imperatores Fo-Hy, & Puon-Ku vidiſtis, neque, quo magiſtro gloriamini, Confucium, neque diſcipulum ejus Men-

zu,

zu, neque veſtrates alios, quorum tanta eſt apud Sinenſes exiſtimatio, atque celebritas, cum tamen nemo ſit veſtrum, qui eos vixiſſe aliquando neget: quanto ergo nobis magis habenda Deo fides, cum divinas præſertim ſcripturas habeamus, quarum eſt firmum imprimis, atque graviſſimum teſtimonium? Pro-Rex ita, ut facere conſueverat, ubi ei nihil, quod opponeret, ſuccurrebat, ut quini ei adhuc colaphi ducerentur, quaſi diabolica verba dixiſſet, præcepit; invidiamque Sanſio ex interrogatione quærens, quæ, inquit, veſtra iſta eſt arrogantia, ut Sinenſes populos doctum veniatis? His, ne commotus quidem, Epiſcopus reſpondit: docemus eos, ut cognoſcant, & ament Deum. Id ni fecerint, norint, ſe perpetuo perituros. Namque extare Deum; hominem vero præditum eſſe animo, qui polleat ratione, tam eſt clarum, tamque perſpicuum, ut id Philoſophi Ethnici, natura duce, aſſequuti fuerint, litteris mandaverint, tradiderintque memoriæ poſterorum. Quæ cum Epiſcopus dixiſſet, Pro-Regis juſſu quinis alapis cæſus fuit. Ab judice deinde interrogatus, quemadmodum per æneos tubulos in mulieres ſufflaret, ſic reſpondit, ut criminationem dilueret, & quemadmodum antea III. kal. ſeptemb. fecerat, explicaret, qui ſit uſus Epiſcopalis pedi in re divina. Addidit do-

doctrinam de ſuflationibus myſticis, quæ adhiberi in baptiſmo, Eccleſiæ inſtituto, ſolent. Tum Pro-Rex; placentula, inquit (nam hoc impius ille panem Euchariſticum appellabat nomine) quam chriſtianis præbere, oleumque, quo eoſdem linire conſueſtis, ea quidem certe ad faſcinum, veneficiumque pertineant, neceſſe eſt. Alius enim ejuſmodi rerum uſus eſſe qui poteſt? Ad hæc Sanſius: Atqui, ſi ea ad veneficium pertinent, inquit, quid eſt, quod, in ſingulis orbis partibus chriſtiani cum ſint, omneſque ſacris communicent, oleoque ungantur, veneficio, & faſcino non afficiantur? Convictus Pro-Rex, alio convertit orationem, & cur, ait, ſingula eorum nomina, qui ſunt baptiſmo initiati, abs te in tabulas referuntur? Ut ſciam, reſpondit noſter, qui ſint chriſtiani, eorumque curam gerere poſſim. Cumque plerique infantes baptizentur, ſi forte fortuna mori parentes eorum contigerit, ne ſuum quemque nomen fugiat, quod ei fuerit in baptiſmo inditum ab ſacerdote. Accedere ad hæc conſuetudinem Eccleſiarum, dixit. Nam toto terrarum orbe eumdem uſum obtinere. Quid vero eſt, ait, judex, quod iis, qui veſtra ſacra ſectantur, Confucium, avoſque ut adorent, non eſſe concedendum exiſtimes? Res eſt, inquit Sanſius, Romæ jam judicata: deque ea re

Pon-

Pontifex ad hoc Imperium annis ſuperioribus legatos miſit. His ultro, citroque dictis, judex de rebus hujuſmodi interrogandi finem fecit, converſaque ad alia quæſtione, quiſnam eum Foganum reverſum hoſpitio excepiſſet, percuntatus eſt. Ipſe, quod explorata jam omnino res erat, Kuo-Ambroſium Hy-jinum, palam reſpondit. Poſt judex alia inveſtigare cœpit, eaque illorum ſimilia cum ſint, quæ hactenus demonſtravimus, prætermittenda eſſe exiſtimamus. Illud tamen prætereundum non eſt, quod, cum Pro Rex ſupplicium capitis Epiſcopo minatus eſſet, vir Apoſtolicus, eſſe id quidem in ejus poteſtate, arbitrioque reſpondit. Ac duas quidem horas quæſtionem Epiſcopus moleſtiſſimam, atque ſæviſſimam pertulit, eoque ſpatio alapis ad quinque, ac viginti tanta vi, atque impetu afflictus fuit, ut ex ore ſanguis efflueret, indeque tumor, inflatioque tanta faciei exiſteret, ut oculi non apparerent, auriumque uſu facili ad mortem uſque privaretur.

Ex Royo judex de cauſſa cur in Sinam venerit, de myſteriis, de Europa, deque aliis rebus multa percuntatur.

LIII. Sanſio Royus ſucceſſit, ex quo Pro-Rex primum quæſivit, quem annum ætatis ageret? Cum ille ſextum, & quinquageſimum, dixiſſet; tum Pro-Rex, quo, inquit, ex Regno es, qua ex provincia, quoque ex oppido? Huic continuo noſter: ex regno Hiſpaniæ, ex Aragonia Provincia, ex oppido Hinojoſa, inquit. Sed

Pro-

Pro-Rex : cum Præfectus Manilenſis tuus in Sinam te miſit, ecqua dedit mandata, quidque fieri abs te velle ſe oſtendit, ut chriſtianos ad defectionem concitares? Nos vero, ſumſit Royus, qui in Sinam mittimur, noſtrum ſinguli munus, quidque facto ſit opus, novimus. Qui mittunt, abite, inquiunt, in Sinam Evangelium promulgatum, nihilque præterea imperant. Contra judex, profecto, inquit, ducti ſtudio concitandæ plebis venitis. Immo vero, reſpondit Royus, nihil nobis tale in mentem venit. Inde Pro-Rex, ut de Sinenſibus chriſtianis, Europæiſque cognoſceret, quot, inquit, chriſtiani ſunt in oppidis Fo-ninga, Ning-te-Lo-yuen, Fo-cheu, Yen-Ping-fu, Chinnen-cheu, Chang-cheu? Ego vero, reſpondit Royus, numquam in his oppidis fui, neque rationem de his rebus reddere inquirenti poſſum. Sed perſtitit ille, &, quot, inquit, in Kiang-ſiena, ceteriſque provinciis ſunt Europæi? Cui noſter, ne id quidem, inquit, mihi eſt exploratum. Ex quo enim cautum eſt, ne oratoria, templave ulla chriſtianis eſſent, neque me ad reliquarum provinciarum ſacerdotes viſendos contuli, neque quidquam ad eos litterarum dedi. Tum mutato ſermone, judex, quantum, ait, in annos ſingulos Pe-Kingenſi Eccleſiæ pecuniæ penditis? Ad hæc Royus, Pe-Kin-

genſes, inquit, ſacerdotes, nulla nos auctoritate præcedunt: propterea neque pendimus eis quidquam pecuniæ, neque ipſi ex nobis petunt. Chriſtianis autem, ſubdidit judex, quantum pro hoſpitio ſolvitis? Nihil omnino, ille reſpondit. Poſt judex, quamobrem igitur, inquit, vobis miniſtrant? Ac Royus, opera, inquit, quam nobis præſtant, exigua eſt: præſtant autem Dei cauſſa, iſque eorum in nos pietatem gloria ſempiterna remunerabitur. Inde Pro-Rex, quodnam, inquit, de vobis ſupplicium ſumetur, ſi reverſi fueritis in Europam? Nullum, reſpondit Royus. At ſi jubentibus, ait judex, vos in Sinam venire, dicto audientes non eſſetis, cujuſnam pœnæ damnaremini? Cui vir Apoſtolicus, neque ob id quidem plecteremur. Nos enim non juſſu, mandatove Præfecti, ſed ſponte ipſi noſtra venimus, ducti ſtudio procurandæ ſalutis hominum ſempiternæ. Rurſum Pro-Rex, quum, inquit interrogans, præceptum ab Imperatore eſſet, ut vobis templa tollerentur, veſtramque legem coli, promulgarique vetaſſet, quid cauſſæ fuit, cur hinc ſecedendum non arbitrarere? Ego, inquit Royus, adverſa per id tempus valetudine laborabam: deinde chriſtianos ut miniſtris, ſacriſque deſtitutos relinquerem, id vero committendum non putabam. Sed judex eo,

unde

unde digreſſus erat, rediens, quæ vobis inquit, veſtram legem propagatum in Sinam veniundi cauſſa eſt? Rogas? inquit noſter. Scilicet ut verum homines agnoſcant Deum, ut ament, ut imperata faciant, atque per hæc æternas inferni pœnas evadere, ſempiternaque gloria potiri poſſint. At judex: qui auſus es Sinam petere doctum chriſtianos falſa dogmata? Ego vero, reſpondit ille, nihil, præter ea, quæ antea demonſtravi, chriſtianos docui. Tum Pro-Rex, quid rei, inquit, placentulæ commiſcetis, quam præbere chriſtianis conſueſtis? Nihil plane, inquit ille; nam quod chriſtianis, facta panis conſecratione, præbemus, id non placentula quidem, ſed ipſum eſt corpus Jeſu Chriſti. Cur, ait judex, ad oculos, ac cetera corporis membra chriſtianos linitis? Linimus, ait Royus, eos, qui gravi morbo conflictantur, idque ad oculos, aures, parteſque illas corporis reliquas, in quibus reſident externi ſenſus, Deum rogantes, ut, quæ per eoſdem ſenſus peccata admiſerint, ea ipſis velit ignoſcere. At enim plerique omnes, inquit Pro-Rex, erui a vobis extrema ægritudine laborantibus oculos, affirmant, neque deſunt, qui viderint. Negavit noſter, atque ea, inquit, manifeſta calumnia eſt, reoſque nos agunt criminis, quod numquam admiſimus. Ac ſæpe quidem per ſuperiores

etiam

etiam quæſtiones inſulſam hanc de effoſſis morientium oculis calumniam mandarini noſtris objecerant, crebroque repetitis quæſtionibus, ut faterentur, ex ipſis vi extorquere conati fuerant. Ea res quo ſpectaret, ne Apoſtolici quidem illi viri, etſi diuturno jam uſu Sinenſium rationes perſpectas habebant, intelligere potuerunt, deque ea neque nos, certi quod referamus, habemus quidquam. Nam quod Serrano vir quidam Sinenſis ex eorum ordine, quos litteratos vocant, ſignificavit, perſuaſum iis eſſe, adhiberi ab Europæis mortuorum oculos ad pictas imagines conficiendas, quod fieri arte illud omnino non poſſe putent, tanta ut ſit oculorum imaginum cum ipſis hominum oculis ſimilitudo, id vero nobis non placet. Ab his rebus judex, quas demonſtravimus, ad oſſa venerabilis viri Capillæ, & ad theriacam, atque coçolatam quærendo deſcendit; oſſaque illa infantis eſſe, atque ad veneficium ab Europæis adhiberi; cocolatam autem non ad veneficium modo, ſed ad incitandam etiam libidinem, eamque abortu celandam pertinere dixit. His autem percuntationibus, quæ, ut Epiſcopus Tipaſitanus animadvertit, originem ex impuriſſimis, perditiſque moribus ethnicorum Sinenſium ducebant, pro ſua innocentia, & caſtitate Royus ita reſpondit, ut turpem, ineptam-

eptamque calumniam depelleret. Post de Pontifice, de Rege, de Palatiis ab judice multa interrogatus, de omnibus ita, uti decebat, demonstravit. Inde Pro-Rex, quid porro est, inquit, quod Pontifex, vosque omnes tanto studio, & diligentia de propaganda vestra religione laboretis? Quia, sic enim noster continuo respondit, ipse, qui nos ex peccato in libertatem asseruit, Jesus Christus pro summa sua in nos voluntate, studioque salutis hominum sempiternæ, Apostolis, eorumque successoribus in mandatis dedit, ut ubique gentium Evangelium promulgarent. Atque ad Pontificem imprimis mittendi ad universas regiones orbis religionis vindices, propagatoresque cura pertinet, ut Christi legislatoris præceptis pareat. Perrexit Pro-Rex, ac, quantum quidem, ait, conjicere mihi ex oratione tua licet, videmini vos mihi, Pontifexque optare, ut Sinenses omnes christiana sacra sectentur, & colant. Utinam vero, respondit ille, omnes colerent. Judex, etsi nutu minus sibi id responsum placuisse significavit, tamen quæsivit, quis rem Sinensium publicam, si cuncti sese Christo dederent, esset moderaturus? Sed Royus, dubium ne est? inquit. Imperator Kien-Lung, idem, qui rerum modo potitur, ejusque post eum successores; non secus, ac in Eu-

ro-

ropa uſuvenit, ubi ſuo reges ſinguli regno potiuntur, imperantque, neque in eorum negotia immittit ſe Pontifex, ut qui eorum ſolummodo curam gerat, quæ æternæ hominum felicitatis procuratio-nem continent.

Item ex Diazio, qué alapis cædi jubet.

LIV. *Poſt Royum vocatus in judicium* Diazius eſt. Interrogatus de ætate, de regno, de provincia, deque urbe, in qua natus eſſet, quamdiu in Sina conſtitiſſet, ac apud quos habitaſſet, ad hæc ipſe, annos natum ſe tres, & triginta, ortu Hiſpanum ex oppido Ezija provinciæ Bæticæ eſſe, in Sina annum jam octavum agere, habitaſſe apud Mariam-Hyam viduam Ki-tungi, Fogani vero apud Chin-Joſephum-Chung-Hoeyum, reſpondit. Nam quia omnibus perſpicue palam erat, quorum Diazius hoſpitio uſus eſſet, ipſe celandum non exiſtimavit. Sed Pro-Rex nihil cunctatus, quæſivit, quemadmodum, cum deſtituta marito mulier eſſet, diverſatus apud ipſam fuiſſet. Licuiſſe id ſibi, dixit noſter, ut ejus hoſpitio uteretur, cui filius eſſet, iſque litteratus, quem tunc vita eſſe defunctum intelligebat. Percuntari deinde ex eo judex de Euchariſtia, deque cauſſa, quamobrem, cum proſcriptam ab Imperatore ſciret legem chriſtianorum, Manilam non revertiſſet, de quibus antea rebus, ut demonſtravimus, ex Sanſio, atque ex Royo quæſierat;

horumque ipſe virtutem, reſpondendique rationem eſt imitatus. His addita ab judice, & dicta ab Diazio nonnulla fuerunt, quæ, propterea quod eſſent ſimilia ſuperiorum, quæ ſunt diſtincte, minuteque deſcripta, nihil eſſe Tipaſitano Epiſcopo viſum eſt, cur ea diligentius perſequeretur. Igitur illud unum ad Dei gloriam, pro cujus religione tanta Diazius incommoda perpeſſus eſt, narrandum exiſtimavit, denis eum alapis, jubente Pro-Rege, fuiſſe percuſſum, ac quinis primum, quod Jeſum Chriſtum nominaſſet; tum quinis iterum, quod de humano animo fermonem habuiſſet. Adeo moleſtum eſt iis, ait Serranus, de animo audire, qui ita vivunt, ac ſi animi expertes eſſent.

Diazium Serranus ad quæſtionem ſecutus iiſdé fere, ac ille, de rebus interrogatur.

LV. Diazium ſequutus Serranus fuit, vir nobilis imprimis; & Epiſcopus Tipaſitanorum, cujus tanta vis, & præſentia, atque æquabilitas animi fuit, ut non ſolum mala omnia fortiſſime tulerit, ſed his etiam affectus, & ſqualore carceris oppreſſus, res præclare ab chriſtianis geſtas ſumma diligentia deſcripſerit. Igitur ex eo primum judex eſt percuntatus, quot annos natus eſſet? Ille vero: unum, inquit, & quinquaginta. Tum Pro-Rex: quo ex regno es, inquit, quoque ex oppido? Ex Hiſpaniarum, reſpondit Serranus, regno, ex provincia Bætica, exque Guenexenſi vico. Perſequutus quæſtionem

nem Pro-Rex, quot jam, inquit, excurrerunt anni, ex quo ad Imperium hoc Sinenſe veniſti? Decem, atque novem, Serranus dixit. Cumque ex eo quæſiſſet judex, quo itinere in Sinam veniſſet? Ex Hiſpania, inquit, Manilam, hinc Macaum, Macao Cantonum, ac Cantono Foganum veni: Pro-Rex, ubi Manilæ facta eſt mentio; Manila, inquit, magnum ne eſt oppidum? Quod cum noſter negaſſet, tum ille, quid vero Macaum? Eſt ea quoque urbs, Serranus reſpondit, exigua, neque admodum populoſa. Navis autem, inquit Pro Rex, quæ Manila Macaum commeat, quantum pecuniæ aſportat mercaturæ cauſſa? Quadraginta millia, reſpondit Serranus, nummum argenteorum, quos *pezos* Hiſpani vocant. Atque is idem Serranus animadvertit tali uſum Pro-Rege interrogandi ratione fuiſſe, quaſi ad noſtros ejus rei procuratio pertineret. Tum a quo exceptus hoſpitio Fo-gani fuerit, judex interrogat, eique Serranus, modo apud Mariam-Hyam viduam in oppido Ki-tungo, modo apud Chin-Joſephum-Chung-Hoeyum in Fo-ganenſi ſuburbio habitaſſe reſpondit ſe; ſcribitque datum jam ſibi idem vitio fuiſſe, quod fuerat ante Diazio objectum, totidemque ſe fere verbis, atque ille, criminationem diluiſſe. Tibi vero, Pro-Rex adjungit, quantum pe-

cuniæ ſubſidii nomine quotannis mittitur? Nummum, inquit Serranus, eorumdem argenteorum centum. At Pro Rex, quantum, ſubdidit, in chriſtianos erogas, ut eos ad tuam legem perducas? Omnino, inquit Serranus, nihil. Nam, mihi quod mittitur, id in victum, veſtemque, tum in ceram, & vinum ad rem divinam faciundam, alioſque in ſumtus neceſſarios, totum confertur. Atqui placentulæ, ait judex, quam præbere veſtris ſoletis, aliquid ne veneficum commiſcetis? Cui noſter, minime vero, reſpondit; namque, quam tu rem placentulam vocas, ea hoſtia eſt conſecrata, verumque corpus eſt, veruſque ſanguis Chriſti Servatoris. Eam porro cum chriſtianis communicamus, ut aucti gratia divina, ubi e vita exceſſerint, gloria, felicitateque æterna potiantur. Atque harum percuntationum, quas deſcripſimus, ſimiles reliquæ, Tipaſitani Epiſcopi teſtimonio, fuerunt, eæque non ſatis multæ, quod Pro-Rex jam feſſus clamitando eſſet.

Denique Alcobero in judicium adducto, interrogatoque, Pro-Rex finem quærendi facit.

LVI. Noviſſime Alcoberus ad quæſtionem vocatur. Hunc quoque judex de ætate, de patria, de Sinenſi commoratione, de hoſpitio, tum cujuſnam juſſu eo veniſſet, prout conſuerat, interrogavit. Ad hæc ille: ætate eſſe annorum ſe duorum, & quinquaginta; patria Granatenſem, quæ urbs eſt Bæticæ provin-

vinciæ in Regno Hiſpanienſi; in Sina annis jam octo, ac decem verſari; habitaſſe in ædibus Thaddæi-Go-Chini; veniſſe autem miſſu Manilenſis Præfecti ſui. Percuntatus inde permulta plena faſtidii Pro-Rex fuit: Ac Hiſpani, inquit, omnes ne ſacra chriſtianorum colunt, lateque regnum Hiſpanorum patet, & Sinenſi præſtat? Ecquæ magnificentiores ſunt ædes, Sinenſium ne, an Hiſpanorum? Quid Reges? ſunt ne alii chriſtiani? ac quotus eorum eſt numerus? Quibus de rebus cum Alcoberus ita, uti par erat, prudenter demonſtraviſſet; tum Pro-Rex, quot, inquit, chriſtiani ſunt abs te baptizati? Huic interrogationi veteranus Chriſti miles quantum fraudis ineſſet intelligens, quingenti, reſpondit: quod hæc reſponſio neque ab rei veritate abeſſet, neque numerum indicaret. Poſt ad præmium Pro-Rex venit, &, quid, inquit, conſequere, ſi tibi facultas Manilam revertendi detur? An te continuo antiſtitem ſacrorum dicent? Ad hæc pro ſua modeſtia ille: ſunt, inquit, in ditione Regis Hiſpaniarum permulti illuſtres doctrina, atque integritate morum. Hi creantur antiſtites. Quid ergo, ſubdit Pro-Rex, tibi tribuetur præmii, jam ſenex quum ſis? Et ipſe: atqui præmium, inquit, a Deo dumtaxat ſpero, gloriam ſcilicet ſempiternam. Tandem Pro-Rex: cur vero, ait, quum noſſes pro-

ſcriptam Imperatoris edicto chriſtianorum legem, e Sina diſcedendum non putaſti? Cui noſter: non diſceſſi, inquit, Dei cauſſa, & cauſſa animarum. Atque ita abſoluta moleſta, ac diuturna quæſtione, agendæ, judicandæque cauſſæ chriſtianorum finis eſt factus.

Accuſationes per calūniam Chriſtianis ab Sinēſibus datæ cum iis conferuntur, quas primis Eccleſiæ tēporibus noſtris conflare Ethnici conſueranr.

LVII. Antequam vero ſententiam proponamus, quæ qualis eſſet futura, ex infenſis, obfirmatiſque adverſus noſtros judicum animis ſuſpicari quiſque facile poterat; liceat jam nobis, quod poſcere res ipſa videtur, a propoſito paulliſper digredi. Ergo quemadmodum primis Eccleſiæ ſeculis ethnici, quum noſtros homines exagitarent, calumnia uſi, nocturnos chriſtianorum cœtus, tamquam nefarios conventus traducebant, quaſi his, non honeſti ſolum, ſed ſanguinis etiam, atque naturæ jura turpiſſime violarentur, & rebelliones, proditioneſque, religionis ſimulatione, inſtruerentur; ſacram vero Euchariſtiam quaſi convivium, ex carnibus exanimati infantis, farreque contecti paratum; ritusque ſanctiſſimos religionis reprobabant, quaſi præſtigia, arteſque magicas, quibus noſtri ad faſcinandos, ad inſaniamque adigendos ſimpliciores, facilioreſque ad credendum homines, uterentur; lacerabantque Epiſcopos, viroſque apoſtolicos, ac ſi ſeductores, incantatores, atque profani eſſent: Ita nunc apud ethnicos

Si-

Sinenſes, mulieres chriſtianis ſacris addictæ, ſacræque virgines eo nomine accuſantur, ac ſi libidini Europæorum ſerviant, eiſque ſe totas tradant; integerrimi, puriſſimique ritus baptiſmi, atque Epiſcopalia inſignia, occultorum flagitiorum, inſtrumentorumque ad impudicitiam habentur loco; hoſtia conſecrata, ſacrumque oleum, venena ad faſcinandos, impellendoſque ad inſaniam chriſtianos exiſtimantur; oſſa martyris, quaſi infantis oſſa ad veneficium; res, quæ ex uſu ſacerdotibus noſtris ſunt, ad præſtigia, tum ad commovendam, occultandamque ſterilitate, atque abortu libidinem pertinere putantur; ſacerdotes ipſi fraudis, magiæ, & turbarum, quique eos ſint ſecuti, rebellionis inſimulantur; ac denique ſtudium, & doctrina apoſtolica, velut artes, atque præcepta ad perduellionem, & ſcelus, traducuntur. Quorum ſane omnium tanta eſt cum ſuperioribus ſimilitudo, ut eaſdem præferre notas, ſeu in hoſtes chriſtianorum Sinenſes, ſeu in chriſtianos cadant, ac illa veterum, videantur.

Sententia a Pro-Rege in ſacerdotes, Chriſtianoſque reliquos lata deſcribitur.

LVIII. Sed jam ad ſententiam, quæ a Pro-Rege eſt, veniamus. Atque ea quidem, ut deſcripta ab Epiſcopo Tipaſitano in commentariis eſt, ſic habe-„

bat . „ Europæi quinque (a) Pe-to-lus
„ (Sanſius Epiſcopus) ; Hoa Kinus
„ (Joachimus Royus) ; Xi-Hoang Chi-
„ kus (Franciſcus Diazius) ; Te Fan-
„ Chi-Kus (Franciſcus Serranus) ; Fi-
„ Jo-Vuangus (Johannes Alcoberus) ,
„ quod animos pervertant hominum , vi-
„ tientque , capitis condemnantur . Kuo-
„ Ambroſius Hy-jinus , quod ſcriba
„ Pe-to-li fuerit , quodque operam pro-
„ pagandæ falſæ legi divinæ dederit ,
„ ſtranguletur . De Pe-to-lo , velut de-
„ cretum ſupra eſt , extemplo ſupplicium
„ ſumetur . Europæi reliqui quatuor ,
„ dum ſecus ſtatutum fuerit , in carceri-
„ bus retineantur . Chin-Joſephus Chung-
„ Hoeyus; Kuo-Lucas-Kin jinus; Vuang-
„ Thaddæus Go-chinus ; Chin Domini-
„ cus Vuen-Chieus , quod hoſpitio Eu-
„ ropæos exceperint , perpetuo exilio
„ pelectantur . Huic poſtremo , quod
„ ſenex ſit annorum LXXVII. exigua
„ pecunia redimendi exilii poteſtas eſto .
„ Lit-

(a) Solent Sinenſes Europæorum nomina , cum ab ipſis uſurpantur , ut eorum lingua poſtulat , in tot monoſyllaba dividere , quot iiſdem nominibus ſyllabæ continentur . Cumque pronunciare R. litteram non poſſint , eam aut prætermittunt , aut in aliam immutant . Itaque Petrum , *Pe-to-lum* vocant , Franciſcum autem *Fan-Chi-Kum* , &c. Atque hoc ſatis eſto , ut quiſque intelligat , cur hæc tanta ſit inter nos , atque Sinenſes in nominibus efferendis diverſitas.

„ Litterati quinque Chin-Franciſcus-
„ Lanus ; Chin-Thomas-Xang Ganus ;
„ Kin-Dominicus-Kieu ; Chin-Joſe-
„ phus-Koanus ; Chin-Nicolaus-Xinus,
„ quod falſam ſequuti ſint legem, e gra-
„ du dejiciantur, verberibus XL cæ-
„ dantur, menſeque ipſo, collo conſtricti
„ *cangam* (a) deferant. Vuang-Petrus-
„ Onus ; Lieu-Margentius-Langus ;
„ Lieu-Franciſcus-Xunus ; Mieu-Tho-
„ mas-Xang-Cheu ; Kuo-Petrus-Ul-ji-
„ nus ; Mieu-Simon-Kao-Hingus, quod
„ falſæ legi parueriut, verberibus XL.
„ cædantur Qui per hos annos Cantonum
„ ſubſidia Europæorum importaturi com-
„ mearunt adoleſcentes, Mieu-Raymun-
„ dus-Xang-yu; Mieu-Paulus-Kiu; Mieu-
„ Franciſcus-Fungus ; Chin-Thomas-
„ Me, X. argenteos nummos, quod ip-
„ ſis eſt portorii ratione datum, reddant;
„ idque fiſco addjiciatur. Vidua Mieu-
„ Maria-Hya, & Virgines Dominicanæ
„ Kuo-Thereſia-Chuna ; Kuo-Lucia-
„ Lieu ;

(a) Poſtulat omnino ratio, ut paucis genus illud Sinenſis ſupplicii explicemus, quod Luſitani appellant *Canga*. Conſtat igitur id vinculum ex tabulis ligneis quadratis duabus, quæ ita comparatæ ſunt, ut intercepto ſpatio, qua pervadere malefici caput poſſit, claudantur deinde, ac genus quoddam *collaris* exhibeant. Magni autem ſunt ponderis tabulæ, tamque amplæ, ut reus inſiſtere pedibus, manuque os contingere nequeat, adeout cibum ſumere aliorum miniſterio cogatur.

„ Lieu ; Mieu-Johanna-China ; Kuo-
„ Aloysia-Xa ; Chin-Rosa-Kuey , fla-
„ gris, & *Canga* torqueantur : vidua, quod
„ hospitio Europæos domi exceperit ; re-
„ liquæ , quod id institutum profiteantur.
„ At utrisque redimendæ exigua pecunia
„ pœnæ facultas esto . Anno XI. Impe-
„ ratoris Kien-Lung , die VII. Lunæ XI.
„ (XV. kal. januarias an. MDCCXLVI.)
„ Cheu-Hio-Kienus Provinciæ hujus
„ Fo-Kienæ Pro-Rex. „

Sacerdotes Fo-chei retinentur : christiani reliqui in Fo ganenses carceres transducũtur.

LIX. Hac tam iniqua sententia dicta , eodem die XV. kal. Januarias , Sacerdotes Europæi quinque Fo-chei iisdem in carceribus manserunt . Nam in Foganenses Lucas , Josephus , Thaddæusque transducti sunt , quid tandem Imperator decerneret , expectaturi ; christianique reliqui omnes Fo-ganum perinde missi , uti ab suo quique Mandarino ita , ut judex decrerat , flagris , & cippo ad collum punirentur .

Transfugarum , qui dãnati & ipsi fuerant , unus resipiscit , sãctèque moritur .

LX. Nec vero transfugis profuit admissum in religionem scelus , ut severitatem judicis declinarent . Quamquam servatus beneficio Dei Mieu-Simon-Kao-Hingus est , qui mœrens , ac dolens , propterea quod metu suppliciorum Christum ejurasset , cui ante perpetuo suam obligarat fidem , ubi mysteria Ecclesiæ , ut christianum hominem decebat , suscepit , pridie ejus dici , quo die publicata judicis sen-

ſententia fuit, in ædibus Ly-Benedicti deceſſit, quo, ægritudinis, qua conflictabatur, cauſſa, e cercere translatus fuerat.

Artes, calūniæque deſcribuntur, quibus uſus Pro-Rex eſt, ut Imperatoris animum in chriſtianos concitaret.

LXI. Tali modo ferus, capitaliſque hoſtis nominis chriſtiani, quam erat noſtris molitus perniciem, intulit; nihilque prætermiſit, quod ad explendam crudelitatem conducere poſſe videretur. Jam primum omnium de captis, conjectiſque Fo-gani in carceres Europæis Sacerdotibus certiorem Imperatorem fecerat, tum mandanti Imperatori, ut homines Macaum, inde in patriam, unde fuiſſent profecti, remitterentur, litteras dederat, quibus ſignificabatur, peſſimis moribus Europæos vivere, multiſque flagitiis implicari. Cognoſci igitur hæc omnino, ſententiaque judicis puniri oportere. Itaque facile impetravit, ut ei Imperator dijudicandæ cauſſæ, faciundique, quod jus, æquumque eſſe arbitraretur, poteſtatem daret. Ipſe, ubi ſe conſequutum eſſe, quod vehementer optarat, vidit, ut in eos animadvertere impune poſſet, quos ſceleris, ac maleficii accuſaverat, nihil intentatum reliquit, quo, inveſtigando, inquirendoque, velut eſt ſupra demonſtratum, aliquid in noſtris deprehenderet, quod dignum pœna videretur. Ergo priores judices, quorum ſententiis abſoluti chriſtiani fuerant, amovit, duoſque delegit, quos futuros maxime crude-

les

les putabat : iique jam cum nullius convincere eos criminis potuiſſent, & remittendos ad ſua regna Europæos, hoſpites autem eorum exilio, chriſtianos reliquos flagris puniendos conſtituiſſent ; ipſe nimium leniter, mitiuſque in eos pronunciatum exiſtimans, augeri cruciatus juſſit, quibus innocentes homines afflictos ſæviſſime per quæſtionem fuiſſe ad diem XII. kal. octobr. diximus : Quæſitor, & Præfectus Ærario, etſi primum, quod mandarinos non ex æquo, & jure, ſed Pro-Regi obſequendi ſtudio tuliſſe eam ſententiam, quæque objiciebantur chriſtianis, ea eſſe omnia calumnia a Pro-Rege conficta, cognoſcerent, adſtipulari ſententiæ recuſarant, poſt tamen veriti, ne in ejus offenſionem, odiumque incurrerent, in quem ſummam eſſe Imperatoris voluntatem perſpiciebant, quique maximo ipſis eſſe incommodo, & damno poſſet, ſi rem, quam ægre tuliſſet, ulciſcendam tandem arbitraretur, etſi haud libenter, in ſcelus tamen conſenſerunt. Scriptam, obſignatamque cauſſam Pro-Rex Pe-Kingum miſit, unaque Imperatorem obſecravit, ut, quæ ipſe in Europæos, chriſtianoſque ceteros decrerat, rata haberet, ac Sanſium continuo gladio percuti imperaret. Etſi autem de ceteris quoque Europæis, Ambroſioque Hy-jino ſumi vellet, tamen in aliud tempus differri ſup-

ſupplicium patiebatur. Petiit idem præterea ab Imperatore, ut ſacram ſupellectilem, libros, reſque reliquas Europæorum cremari, pecuniamque fiiſco addici, dejicique ædes, in quibus Sanſius, & Serranus, atque Alcoberus habitaſſent; ac pueros, qui ſubſidia Europæis importaſſent, quidquid ab eis ſtipendii accepiſſent, reddere, idque etiam in ærarium inferri, juberet. Neque eſt tamen his tot, tamque immanibus poſtulatis capitale hominis in Chriſtianos odium imminutum. Namque, ut facilius conata perficeret, traheretque ad ſui voluntatem Imperatorem, multa actis addi plena calumniæ, falſitatumque curavit, Sacerdoteſque noſtros per ſummam injuriam multorum, graviſſimorumque ſcelerum reos egit. Itaque confeſſos fuiſſe Europæos flagitia, quæ ipſis ab ethnicis falſo attribuebantur, ſcribi fecit; quæ etſi ſunt omnia ab Epiſcopo Tipaſitano diligenter deſcripta, nos tamen, ne tot calumniis, quæ nihil ad rem pertinent, moleſti lectori ſimus, graviora omnino, perque fallaciam, calliditatemque majorem conficta deſcribemus. Itaque Mauricaſtrenſem Epiſcopum in judicio fuiſſe confeſſum ſcripſit, eſurialibus feriis editiori loco ſedere ſe, accedereque ad eum chriſtianos ſeu mares, ſeu feminas, velatis capitibus panno albo, eumque ſalutare conſueviſſe: tum ſe

aquam

aquam eis in frontem fundere, eoſque lavare, eumque ritum baptiſmum vocari. Viris in faciem dumtaxat, feminis vero non in faciem ſolum, ſed in alias etiam corporis partes per tubulos quoſdam ex indica arundine confectos ſufflare turpiter. Hac re ex eorum cordibus expelli dæmonas. Chriſtianis præterea pecuniam largitum fuiſſe ſe; eoſque primum humaniſſime habere: docere deinde, Imperatori neque auctoritatem omnino, neque honorem tribui ullum oportere. Europæum illum, qui homines majori numero ad chriſtianiſmum adduxerit, præſtare reliquis gratia, iiſque præfici debere; eum vero, qui nullos, remittendum eſſe in Europam, demtoque, Pontificis juſſu, ſubſidio, publice per vias flagris cædendum, morteque ignominioſa damnandum. Non enim huic aditum in cælum patere. Regnum Manilenſe egenos olim, atque inopes barbaros tenuiſſe; cumque eo Hiſpani ſuam religionem promulgatum, propagatumque veniſſent, horum largitionibus, & pecuniæ ſpe illectos Europæis ſe, ſuaque omnia permiſiſſe. Macai templa eſſe chriſtianorum octo: Dominicanos, & Miraltam Fo-Kienſium Sacerdotum rationes procurare, Pe-Kingenſium, & Hang-Kingenſium Jeſuitas; cæteros reliquorum. Atque hæc quidem ita Pro-Rex Imperatori, quaſi ea Sanſius in quæſtione

con-

feſſus eſſet, per litteras ſignificavit. Nam quæ Sacerdotibus Dominicanis reliquis affinxit, eodem fere revolvebantur: Pontificem, ad quem propagandæ religionis procuratio pertineat, adeſſe Regi, eumque adjutare, quemadmodum in Sina, qui primas inter Mandarinos partes obtinet, Imperatorem: Si quod Regnum Chriſti fidem admiſerit, ut in Europa uſuvenit, tranſire continuo illud in poteſtatem eorum, quos *Miſſionarios* vocant: miſſos eo ſe a ſuis Præfectis, ut Imperium omne ad Chriſti religionem converterent, ſuoque regno ſubigerent: eſſe eiſdem certum, conſtitutumque, ab eis, qui legem chriſtianorum amplectantur, Imperatori officium nullum præſtari oportere: Commeare quotannis ex Europa in Sinam naves tres, eaſque plurima nummum millia, quibus ſit uſus ad religionem propagandam, importare: augeri jam amplificarique in dies numerum Sinenſium chriſtianorum: libenter Europæos Sacerdotes in id Imperium venire, propterea quod nihil metuant, cum ſciant abeſſe ab Sinenſium legibus ſeveritatem, iiſque nullam ſibi eſſe conſtitutam pœnam: quod ſummum timere poſſint, ne Imperatoris edicto in exilium pellantur, & Manilam remittantur, id ſi fiat, facilem fore, atque expeditum inde reditum in Sinam: Alcoberum eadem, quæ Pe-to-lus, confeſſum

eſſe

esse. His plura adhuc pari calumnia usus adjecit, quibus Imperatoris animum in nostros, ceterosque viros Apostolicos, christianosque omnes, quam posset, vehementer incenderet. Re per summam injuriam, calumniamque gesta, die XIII. kal. januarias Pro-Rex Pe-Kingum ab Imperatore evocatus, Fo-Keu, ampliorem dignitatem consequuturus, discessit.

Matthias Fu nostrorum res diligenter curat, Sanfiumque Episcodum de proximo supplicio per litteras certiorē facit:

LXII. Harum rerum omnium Serranus a Matthia-Fu præstantissimo Siamensis seminarii alumno certior est factus; qui cum christianos vinctos, carcereque detentos consolaturus, Fo-cheum venisset, modum, quo exemplum actorum caussæ ex tabulario Quæsitoris extraheret, invenit, quæ acta contra christianos Pro-Rex conscribi curaverat. Thomas item Sanchesius ejusdem Collegii alumnus, de quo supra diximus, mense Februario eos inviserat, quibusque rebus poterat, juvarat, ut demonstraret, quantum eos diligeret, quantique penderet; cui etsi, numerata custodi pecunia, adeundi in carceres facta facultas esset; metu tamen Mandarini, qui carceribus præerat, diuturniori colloquio prohibitus, atque die, ex quo venerat, tertio Hing-hoam revertī coactus est. Sed Matthiæ diutius in oppido versari fas fuit, cujus, non secus ac Thomæ, Tipasitani Episcopi testimonio, tantum extitit in nostros studium, atque bene-

benevolentia, ut vel viris eodem illis instituto conjunctis optabilius nihil esset; quæque aliquid solatii afferre iis poterant, diligentissime procurabat, nunciabatque omnia, quæ ad eos pertinere viderentur. Interim multo jam mense Aprili, cum populus Focheensis nuncium Pe-Kingo expectaret, significatum nostris a Matthia est, nullum de eorum caussa adhuc ab Imperatore decretum factum fuisse; qua ex mora, simulque ex Pro-Regis calumnia facile quisque, quorsum esset res evasura, suspicabatur. Neque vero suspicionem fefellit eventus. Nam a.d. IX. kal. jun, prima luce delatæ ad Mauricastrensem Episcopum a Matthia litteræ fuerunt, quæ sic habeant: „ Ephemeride modo „ Pe-Kingo accepta intellectum tandem „ nunc est, sententiis a Pro-Rege Cheu-„ Hio-Kien latis, ab Imperatore subscri-„ ptum. Itaque tibi martyrii palma, & „ corona brevi tribuetur. Collegis tuis „ una cum Ambrosio manendum in car-„ cere est, quoad alterum Imperatoris „ edictum de eorum supplicio publice-„ tur. Hæc ut cognovimus, temperare no-„ bis ipsi a lacrymis non potuimus. Te, „ ut nobis bene preceris, nostrumque „ omnium memor ut sis apud Deum, ro-„ gamus. „ Est autem ephemeris Pe-Kingensis, cujus Matthias meminit, diarium, quod jussu Imperatoris quotidie in aula

descriptum, typisque excusum, in omnes Provincias vulgatur: continetque præter ea, quæ ad gubernationem Reip. pertinent, circa quam præcipue versatur, res etiam singulas reorum, de quibus sit capitale judicium latum.

Sanſius, mortis nuncio accepto, colligit continuo & singularia virtutum exempla prodit.

LXIII. Epistolam Episcopus submissa voce cum legisset extra conclave, quo in conclavi hæc describebat Serranus; tum intra ingressus magna hilaritate, ipsumque Serranum manu apprehendens: *Accede*, inquit, *scito me quamprimum gladio percussum iri*; ac continuo in genua provolutus canticum *Te Deum* summa religione, & pietate recitavit: tum Serrano, *tu me heic*, ait, *expecta: jam ego ad actæ omnis vitæ exomologesim me comparatum pergo*. Itaque cum collegisset aliquamdiu ipse se, præparassetque, pie, ac diligenter *exomologesim*, ut optabat, peregit, animo adeo per virtutem demisso, tanta caritatis vi, & magnitudine, tantaque copia lacrimarum, ut eum facile agnoscere liceret, qui (ut ait Serranus) dilecti sponsi ad nuptias æternas invitantis brachia jam sibi ad collum cerneret. Facta *exomologesi*, tum collegas alloquens, eorum se imprimis futurum memorem, ubi esset a Deo gloriam consequutus, promisit. Sacra vero Eucharistia etsi summopere refici sese, confirmarique cupiebat, unde viaticum ad æternitatem comparatum habe-

haberet, & Matthias in eam rem ſumma contentione nitebatur, & neque precibus, neque pecuniæ parcebat ; cuſtodibus tamen tantum incuſſerant mandarini metum , nullis ut præmiis , aut pollicitationibus induci potuerint , ut eidem Matthiæ in carceres aditum permittendum arbitrarentur . Quod cum Dei voluntate fieri Epiſcopus reputaret , æquo , hilarique animo tulit , ſeque ita ſuſtinuit , non modo ut non ægre ferret , ſed ne perturbaretur quidem . Ac vitam hactenus ſic ille duxerat , ut coluiſſe perpetuo pietatem , ſeque ad certamen martyrii continenter comparaſſe videretur . Nam cum jam inde ab ineunte ætate ita , ut demonſtratum eſt , recte inſtituendæ vitæ dediſſet operam , & diuturnos pro religione labores ſuſtinuiſſet ; tum iniquitate inimicorum religionis , ſqualoreque carcerum , occaſionem ſæpiſſime nactus colendarum majorem in modum virtutum erat, quibus eum cumulatiſſime præditum fuiſſe conſtat . Ergo incommoda Fo-ganenſis itineris , carceres , catenas , vincula , manicas , famem, quam per dies octo , nonniſi particulis cucumeris , quas ab chriſtianis una in carcere detentis acceperat , ſuſtentarat , alapas ad nonaginta ipſi in judiciis crudeliſſime inflictas , moleſtoſque , ac crebros ad tribunalia itus , redituſque , tempeſtate pluvia , cruribus , pedibuſque nudatis , ut alia multa præ-

tereamus, tanta patientia, atque æquabilitate animi pertulit, ut tot incommoda ei neque conqueſtionem ex ore umquam extorſerint, neque de vultus hilaritate quidquam detraxerint.

Virtutes recenſentur, quibus erat eximie præditus Sanſius.

LXIV. Magna etiam animi fortitudine ſæpius eſt uſus, dum de eo habitæ quæſtiones, quas ſupra diximus, fuerunt, ut ipſe quidem eſſe Judex, quemadmodum Serranus ait, Mandarini autem rei viderentur: neque ipſe ſolum ſuſtineret odium, & ſævitiam inimicorum, ſed aliis etiam chriſtianis ſpiritus ad tormenta, atque necem perferendam adderet. Studium præterea tuendæ religionis, quo vehementer ardebat, mirifice declaravit, idque jam ſtudium tam magnum erat, ut cum eum ad Pro-Regem brevi adducendum monuiſſent chriſtiani, atque, ut caveret, hortarentur, ne quid minus leniter reſponderet, (propterea quod animo ille in noſtros infeſto eſſet, obeſſeque Eccleſiis plurimum poſſet) ipſe, etſi ita, uti demoſtravimus, magna animi virtute, & firmitate reſpondit, poſtea tamen Serrano dixerit vereri ſe, ne impudentis Judicis, qui Dei legem eſſet auſus falſitatis inſimulare, petulantiam neque tam acriter, ut par erat, neque tam graviter, ut tempus hortabatur, repreſſiſſet. Qua vero caritate flagraret, ex eo maxime intelligitur, quod cum chriſtiani ab judicibus cruciatu, alapis, tormentis vexarentur, tantum

tum ipſe ex eorum caſibus dolorem capiebat, ut magnam vim lacrimarum effunderet, homo, qui propriis oppreſſus malis, non modo fletum, ſed ne gemitum quidem umquam emiſit: tum ex eo, quod cum Serranus in carcere e lateribus laboraret, ipſe, cui pro ſua caritate gravior ea res, quam ægroto, accidebat, nihil prætermiſit, quod futurum homini ex uſu exiſtimaſſet; tantumque ejus officium extitit, ut ſtramentitiam culcitram conquiſitam, inventamque ſuis ipſe manibus apportaverit, locoque, prout uſus fuerat, moverit; omnia denique diligentiſſime procuraverit, quæ ad illius levationem aliquam pertinere videbantur. Nam quæ inſtituti ſui legibus continentur, ea ſemper ſumma diligentia, conſtantiaque ſervavit, ut quamvis tot jam morbos, aliaque mala perpeſſus, corpore eſſet maxime infirmo, nihilòſecius, quamdiu carceribus tentus eſt, perpetuo de media nocte ſurrexerit, & pro *matutinis*, ut vocant, precibus, a quibus per nocturnum tempus, quod deeſſet lumen, aliiſque incommodis impediretur, perſolvendis prohibebatur, hymnos, & pſalmos, aliaſque preces magno numero recitaret. In munere autem Apoſtolico fungendo tantum ſtudium, operamque conſumſit, ut ab eo ne vinculis quidem prohiberi ſe pateretur. Namque Kuo-Matthæum-On juvenem annorum

ſex, & viginti, qui deſciverat jam pridem a Chriſti fide, vel in ipſo carcere monitis, atque hortationibus ad ſanitatem convertit. His tot, tantiſque rebus geſtis, toleratiſque, quæ vera erat ratio parandi ad martyrium ſeſe, cum virtutem adeptus eſſet animi ſingularem, tum triduo ex eo die, quo nuncium accepit, ad diem, quo corona donatus eſt, id continenter contendit, ut ſtudium adhuc pietatis augeret, ſuumque animum quam poſſet maxime ornaret, quæque ſibi divinitus commiſſa talenta erant, multiplicaret, uti jam pulſanti januam ſponſo placeret, atque a cæleſti Domino, velut fidelis miniſter, in gloriam ſempiternam reciperetur. Quo tempore deſignatus martyr Serrano narrabat, viſum illud myſticum ſibi jam continenter quaſi ob oculos verſari, quod ſibi ipſi oblatum Fo-gani fuerat, quodque viſum noſtri, etſi primum ita fuerant interpretati, ut feretro oſſa Ven. Capillæ ſignificari arbitrarentur; poſt tamen de proxima Mauricaſtrenſis Epiſcopi morte certiores facti, feretro putabant ejus Epiſcopi martyrium portendi; multitudine autem ſyderum magnum numerum eorum, quos Deus ſibi ex Fo-ganenſibus delegiſſet; ac duobus denique pedis ex ſtellis, peda duo, quibus uti conſueſſet Epiſcopus, inique a Mandarinis contemptui, ac turpitudini habita, a Deo autem ſyderum ſplendore de-

corata, existimarunt. Verum quibus videndi, iisdem non semper visa, ostentaque intelligendi divinitus facultas datur. Nobis enim feretrum non unius Sansii sepulcrum portendisse, neque pedum utrumque ad ipsum tantummodo Sansium referendum fuisse videtur. Secundus enim erat in Sina Serranus Episcopus pro Christo privandus vita, etsi nondum hoc illi compertum erat.

LXV. Eadem die IX. kal. Junias, accepta Pe-Kingo ephemeride, Focheensis Prætor Mandarinum inferioris ordinis quemdam prætorios carceres inspectum misit. Is medio in atrio carcerum, cum sedisset, & Præfectus carceribus adesset, tum Scriba contenta voce nomina singulorum, qui carceribus tenebantur, ex indice recitare cœpit, singulis respondentibus, ubi se quisque nominari intellexisset. Hac recensione absoluta, tres Europæos, qui iisdem in carceribus erant, Pro-Prætor vocat: eos ait per dies decem pedicis, manicisque constrictos manere, oportere. Pro-Regem enim venturum inspectum carceres, qui si solutos offenderet, rem magno custodibus damno futuram. Sed hæc simulatione fiebant. Simulandi causa hæc erat. Solent Sinenses, ubi primum se reos esse, supplicioque afficiendos cognorint, ne manu carnificis pereant, ipsi sibi mortem consciscere. Ita-

Mandarini, ex Sinensium consuetudine catenis Sacerdotes cõstringunt, veriti, ne illi sibi ipsis mortem consciscerét.

que rem judex capitis damnatos celat, uti ſubito e carcere educti ad ſupplicium trahantur. Quod idem de Europæis faciendum exiſtimarunt, rati tam eos, quam Ethnici conſueverunt, barbaris, efferatiſque moribus vivere.

Satellites in carcerem irrumpunt, atque Sanſiũ indignis modis vinctum educunt.

LXVI. Poſtero die, qui dies erat ad VIII. kal., delatum decretum Imperatoris de interficiendo ſtatim Sanſio Focheum fuit. Sed res ea die exitum habere non potuit, propterea quod veteris cujuſdam Imperatoris, quem eæ gentes ſuperſtitioſe colunt, interitus anniverſariis ſacris celebraretur. Die inſequenti hora circiter a meridie quarta, magnus hominum ſtrepitus auditus a noſtris eſt; de quo cum ex ceteris, qui erant una in carceribus, quærerent, ſic accipiebant: oryzam venire magni, quamobrem magnos hominum concurſus fieri, qui velint emere, atque ex concurſu ſtrepitum exiſtere. Nimirum qui in carcere detinebantur, etſi norant tempus ſupplicii Epiſcopo imminere, cavebant tamen, ut qui ſumma in eum, ſingularique pietate, atque benevolentia eſſent, ne ei nunciarent, quæ ipſi infauſta arbitrabantur.

Denique hora fere quinta deni ſatellites magno tumultu, magnaque lætitia in carcerem irruperunt, cumque ad conclavis januam veniſſent, in quo Europæi manebant, *ubinam*, inquiunt, *eſt Pe-to-*

lus ? Ad hæc Antiſtes mitiſſimus, quin perturbaretur, *ecce me*, inquit; *adſum*. Quæ cum dixiſſet, de humili ſella, quæ quatuor dumtaxat ex fuſtibus conſtaret, in qua *Roſarium*, quod vocamus, B. Mariæ Virg. recitans ſedebat, ſurrexit. Mox lictores accedunt, &, ut poſſet ad ſupplicii locum incedere, vinculis hominem ſolvunt, eique occiput poſtremo tondent. Quod cum ii facerent, quæſivit pacatiſſimo animo ex Serrano Epiſcopus, quidnam ageretur, eique capillos tonderi reſpondenti, ne moram gladio interponerent: *eja igitur*, inquit, *abſolve me*. Itaque brevem exomologeſim fecit, jamque abeuntem Serranus ritu ſacro abſolvit. Egredienti e cubiculo, noſtri apprehenſas manus deoſculabantur; quibus cum confirmaſſet, quod primo promiſerat, ubi ad Deum aſcendiſſet, eorum ſe imprimis memorem futurum, dimiſſus ab ipſis eſt, quem patris loco habuerant, cujuſque aſpectus maximam eis malorum levationem attulerat; ſed eo amiſſo, quo in luctu, & mœrore remanſerint, non tam poteſt verbis, quam lacrimis ſignificari. Ad carceris januam cuſtos accedens, vinum ei, reſque alias quaſdam pauculas obtulit, ut aliquid ad refectionem ſumeret; quibus comiter recuſatis, Epiſcopus homini, qui tanta in ſe humanitate uſus eſſet, gratias quas potuit maximas egit,

tum

tum pecuniæ nonnihil donavit, quo ei ſe plurimum debere ſignificaret. Cum manus militum ad Præfecti Urbis tribunal veniſſet, *ubinam*, Epiſcopus inquit, *eſt ſatelles, qui eſt acturus carnificem?* Qua facta interrogatione, ſatellites homini ictum calcis infligunt, tum, in genua, inquiunt, continuo procumbito, neu quidquam quærito. Non enim intelligebant homines tam alieno ab inſtitutis chriſtianis animo, quo ſpectaret Martyris percuntatio, qui eximia, atque heroica exempla præclariſſimorum primævæ Eccleſiæ præſulum imitatus, nummum argenteorum, quos *pezos* vocari ab Hiſpanis diximus, quinque, quos ad eam rem attulerat, donare carnificem conſtituerat. Neque tamen nova hæc injuria invictæ patientiæ Epiſcopum a ſententia deterruit; nam humi in Prætoris conſpectu pecuniam poſuit. Is eam præfecto carceribus ad Serranum, & Royum deferendam, unde ſibi ad victum aliquid compararent, dedit. Poſt, detractis martyri manicis, manus ei ad tergum ſatellites ligarunt, funeſque humeris, brachiis, ac manibus circumductos tanta vi conſtrinxerunt, ut oſſa non ſecus creperent, ac ſi ſingula diſtraherentur. Paraverant præterea tabulam, ſeu vexillum chartaceum, cui Sanſii cauſſa his verbis deſcripta erat: *Reus hic Peto-lus capitis condemnatus eſt, ut omnes*

inde

inde doceantur, ſibique exemplum ſumant, propterea quod animos hominum mendaciis, fraudibuſque ſeduxerit. Huic tabulæ Pro-Rex chirographum, ſive inſigne ſuum adpoſuit, lineam deſcribens rubro colore; qua deſcripta calamum continuo abjecit. Eſt enim apud Sinenſes ita conſuetudine comparatum, ut rubro colore ſanguis in ſententiis capitalibus; abjectione autem calami, ejus vilitas, ut nulli jam uſui eſſe queat, ſignificetur. Tali modo ſubſcripta tabella, atque ad inſtar vexilli arundini appenſa, arundinem manus inter, & brachia martyris ſatellites ligarunt, ita ut capiti tabella emineret, ut quæ erant in ea deſcripta, legi ab omnibus facile poſſent. Allatum etiam frænum eſt, quod reis injici in Sina ſolet, ne poſſint Imperatori, aut miniſtris male precari: quod frænum cum jam martyri ſatellites vellent injicere, his ille: *Os*, inquit, *mihi liberum relinquite, ut implorare divinam opem, laudareque Deum poſſim.* Verum neque obtinuit quod rogarat, &, quod rogaſſet, alapa cæſus eſt.

LXVII. His geſtis rebus, Prætor Mandarino Min-Hienſi, atque adjutori centurionis, aliiſque præfectis duobus milites, & apparitores attribuit, iiſque Epiſcopum tradidit, ut eum, quemadmodum decretum eſſet ab Imperatore, interfici curarent. Ipſe Epiſcopus ita per Fo-chei

Sanſio extra Urbis mœnia deducto, caput præciditur. Eum Chriſtiani mortuum deflent.

vias incedebat, tanta vultus, atque animi hilaritate, ut triumphum agere videretur; neque impediebatur fræno, quo minus Deo ſupplicaret, moneretque homines, ejus ut legi parerent, ſi ſalutem conſequi ſempiternam vellent. Erat concurſus hominum ad ſpectaculum ſupra, quam credi poteſt, magnus, partim ex oppido, quod eſt imprimis maxime populoſum, partim eorum, qui ſtudiis litterarum erant addicti, quique Focheum per id tempus confluebant, ut merito quiſque ſuo aliquem obtineret gradum honoris, & dignitatis; partim chriſtianorum, qui ducti pietate, & religione circumquaque ex agris, pagiſque convenerant. Juvenis autem Kuo-Mattheus-On, quem Epiſcopus ad ſanitatem inter vincula converſum ſummopere diligebat, gratiam amori, & beneficio illius ſingulari relaturus, dum ad ſupplicii locum veniretur, numquam ab eo diſceſſit. Accidit interea tanta frequentia hominum, rerumque perturbatione, ut Epiſcopo pileus Sinicus vel decideret, vel auferretur. Hanc ipſe rem ut animadvertit, dignam ſe animi conſtantiam, & tranquillitatem præſeferens, ad ſatellites verſus, *eja vos*, ait, *pileus mihi e capite decidit: quare eum rurſum capiti imponitote*; atque haud multo poſt, cum illi præ multitudine pes compreſſus, detractumque cal-

calceamentum fuiſſet, continuo magna frontis ſerenitate converſus, petiit, ut pedi calceamentum reſtitueretur. Denique per portam, quæ ad occidentem ſolem ſpectat, ex ambitu mœnium egreſſa nefaria manus, pontemque ſublicium prætergreſſa, qui pons paſſus prope xxx. a mœnibus aberat, cum paullo adhuc proceſſiſſet, juſſus eſt a ſatellite martyr fortiſſimus, ut in lato ſaxo, quod in media erat ſuburbii via, genua flecteret. Quod ubi invictus Chriſti miles intellexit: *Paullulum*, inquit, *mane, ſpatiumque mihi, dum me Deo ipſe commendem, concedito*. Ea re impetrata Deum oravit; factoque precandi fine, reſpexit retro, lætoque vultu lictorem intuens, *jam*, inquit *Cœlum peto*. Hac re audita, carnifex manum Epiſcopi pilo imponens, ſcapulaſque ejus leniter tangens, *quam aveo*, inquit, *una venire!* Cui Sanſius, *ergo Dei legem colito, ſi ſalvum te cupis eſſe*. Tum eum hortatus ne metueret, genua flectit, ac lictor continuo gladio, unico ictu, caput abſcidit Martyris, viamque patefecit, qua beatus animus ad cæleſtem triumphum evolaret. Matthias-Fu, ut ſanguinis colligendi facile chriſtianis poteſtas eſſet, tapete attulerat, quod humi ad ſupplicii locum ſterneretur. Sed ſatellites concedendum non putarunt, quod id apud Sinenſes fieri non conſueſſet. Neque eo ſe-

cius reperit christianorum pietas, qua ratione sanguis martyris colligeretur. Nam vir diligens imprimis Ly-Benedictus ethnici cujusdam opera usus nomine Chin-Vl-Yuen ad lapidem, solumque cinerem spargendum curavit; eumque postea cinerem martyris sanguine imbutum collegit. Abscisso martyris capite, satellites continuo quatuor cadaver ad locum, qui prope mœnia esset, intulerunt, ibique quadrantis horæ spatio relictum, post in agrum importarunt, ubi deponi corpora illorum solent, qui extremo sint affecti supplicio, passibus a muro cccIxxv., atque in limine loculi unius eorum, qui sunt in agro, collocarunt. Caput autem (quoniam est in more Sinensium positum, ut turpi quodam modo collocetur, ut transportari una cum corpore facile possit) Matthias hujus declinandæ infamiæ caussa, numerata satellitibus pecunia, impetravit, ut seorsim a corpore facco inclusum, in quem erat immissus sanguis, transportaretur. Aderant, dum hæc gerebantur, Matthias ipse, & christiani, diligenterque omnes cavebant, ne ab ethnicis cognoscerentur. Ac multa jam nocte, quum ethnici omnes inde cœnatum abiissent, christiani, cum solos jam esse se animadverterent, magnam vim lacrimarum effundere, a quibus tamdiu, metu coacti, magno conatu temperaverant, & sangui-

ne

ne profuſas paſtoris veſtes rigare cœperunt; cujus alii interea pedes, alii manus deoſculabantur; alii ſummam in eum pietatem maximis ſignificationibus teſtificabantur; alii denique patrocinium illius implorabant. Quum enim præclariſſimus Antiſtes, & martyr viveret, ita geſſerat erga chriſtianos ſe, ut pater eſſe illorum videretur. Quare hoc illi modo patri optimo, ac benemerenti parentabant.

Epiſcopo juſta chriſtiani ſolvunt; Ethnicoſque impedire conãtes reprimũt.

LXVIII. Horis fere ante mediam noctem duabus, Matthias-Fu Sinenſis ſacerdos, de quo ſupra demonſtratum eſt, una cum aliquot chriſtianis inventum feretrum, veſteſque, quibus martyris cadaver ornaretur, paratum ivit, relictis aliis, qui cuſtodiendi corporis cauſſa, quaſi in vigiliis manerent. Rebus omnibus, quæ ad illud pie, decenterque ſepeliendum pertinerent, paratis, poſtero die Matthias, qui nullo labori ſe vinci patiebatur, in agrum, in quo erat corpus locatum, venit; cumque factus magnus ethnicorum concurſus eſſet, ut quæ fierent, videre, impedireve, ne martyri id officii genus præſtaretur, poſſent, neceſſe fuit, ut ille præſidio uſus cuſtodum carcerum, Quæſitoris trium, qui bene in noſtros animati eſſent, arte adhibita loco cederet omnes faceret, ut libere, quod in animum induxiſſet, perficeret. Hiſce amotis, veſtes omnes ſanguine conſperſas, cate-

catenas, manicas, pedicas, & cetera, quæ ad martyrem ſpectabant, ut partes inde chriſtianis Sinenſibus diſtribueret, quodque reliquum fuiſſet, Siamum, Manilam, Romam, alioque mitteret, collegit, quod Dominicanis martyri ſociis in carceribus aſſervatis hanc curam ſuſcipere non liceret. Jam meridies inſtabat, quo tempore corpus Sanſii ita, ut par erat, ornatum, inque feretro collocatum fuit. Sed diſpoſitis rebus omnibus, cum proxime in montem ſanctum, ubi condi chriſtianorum cadavera conſueverunt, deferendum eſſet, oppoſita ſubito obſtacula ſunt, avaritia improbitateque Mandarini, qui agro, in quo reorum corpora ſepeliuntur, præfectus erat, ut qui diceret, ni ſibi argentei nummi triginta numerarentur, ſe numquam, ut idem corpus alio transferretur, paſſurum. Etſi quinque ſe illi numeraturum Matthias promitteret, tamen quod Mandarinus ex eo genere hominum eſſet, qui mediocri eſſe contenti lucro non poſſunt, nihilque de priori petitione remitteret, conſilio Matthiæ uſi chriſtiani ad præfectum carcerum confugerunt. Sed cum is eorum poſtulatis ſatisfacere recuſaſſet, ad præfectum carcerum quæſitoris, cujus egregia erga Diazium, Alcoberumque voluntas erat, ſeſe petitum auxilium contulerunt, qui eos hortatus, ut bono animo

mo eſſent, promiſit eam rem ſibi curæ futuram. Poſt decretum ita, ut noſtri optarant, tulit; agrique Mandarino, ne chriſtianis reſiſteret, imperavit. Is, ut erat pecuniæ cupidus, certior fieri voluit (neque vero is ſolum, ſed etiam pater ejus, ac mater) a præfecto ne latum, an confictum hujuſmodi decretum fraude chriſtianorum eſſet. Cumque inquirendo comperiſſet, nihil ſibi fuiſſe, neſcio præfecto, a noſtris nunciatum, etſi invitus, atque ægre ferens, tamen corpus tradidit; acceptumque chriſtiani in ſepulcrum ad montem intulerunt. Jam ſanguis martyris ab ethnico ita, ut illi datum in mandatis erat, collectus, in manus Matthiæ pervenerat. Sed, quoniam ei, qui collegit, ſingularia quædam, ac pene ſimilia prodigiorum evenerunt, poſtulat omnino tempus, ac ratio, ut eorum diſtincte hoc loco mentio fiat, nequid nos diſſimulaſſe quiſquam exiſtimet, quod in Dei gloriam, decuſque martyris redundare poſſit.

LXIX. Itaque cum ſatis tuto nemini chriſtianorum negotium ſanguinis martyris colligendi dari poſſet, propterea quod periculum eſſet, ne ira in noſtros incenderetur Mandarinorum, qui continenter cauſſas majorem in modum in chriſtianos fæviendi aucupabantur, Ly-Benedictus, cujus fides imprimis, ergaque Europæos

Chin. Vlyuen Ethnicus homo, Ly-Benedicti rogatu, ſanguiné martyris colligit, jamque amore, ac pietate in Epiſcopum incenditur.

ſacerdotes obſervantia, atque hoſpitalitas, magna omnium conſenſione commendari ſolet, Chin-Vl-Yuenum ad id negotium adhibere cogitavit, quod eo ethnico viro familiariter uteretur. Atque is quidem minus ad rem gerendam idoneus videbatur, propterea quod tam improbis, fæviſque moribus eſſet, ut uxorem excedere domo cogeret. Accedebat ſuperſtitio, qua fiebat, ut non errores ethnicorum modo probaret, ſed etiam, multitudine idolorum inlata, in templum deorum ſuas ædes convertiſſe videretur. Ob eas res omnes, incredibilemque horrorem, quo Sinenſes aſpectu, contactuque eorum, quæ ad cadavera ſpectant, affici ſolent, dubitabat Ly-Benedictus, dare ne id negotium homini ſatis tuto poſſet. Sed cum aliquandiu ſecum cogitaſſet, neque alium aptiorem, cui res crederetur, inveniſſet, ſtatuit ei, quod ſibi in mentem veniſſet, proponere. Ubi ethnicus, quid a ſe fieri chriſtianus vellet, cognovit, non ſolum reſiſtendum non putavit, ſed etiam rem ſe tanto ſtudio, tantaque diligentia curaturum promiſit, ut ei confirmaret, etiamſi in vitæ periculum veniſſet, ne guttam quidem ſanguinis Pe-to li ſe in loco ſupplicii relicturum. Nam ſcelus ille a Mandarinis admiſſum deteſtabatur, qui ob benefactum, ſtudiumque, quo incenſus Epiſcopus e tam remotis regionibus,

bus, non lucri, ſed indicandæ populis in cælum viæ cauſſa, in Sinam venerat, hanc gratiam retuliſſent. Quæ res ſummam movit Ly-Benedicto admirationem, ut qui Chin-Ul-Yuenum virum ethnicum divinæ gratiæ auxiliis incitatum non modo hæc polliceri, ſed etiam abire cerneret promiſſis ſatisfacturum. Atque is ethnicus, ubi in locum ſupplicii pervenit, caputque Antiſtitis reciſum vidit, nihil metuens, nullaque aut eorum, qui aderant, aut loci habita ratione, arrepta arundine cunctos arcere, qui ipſum conculcabant, impediebantque, ne conata perficeret, cœpit; tum effuſum ſanguinem, ita ut promiſerat, collegit, inque ſacculum immiſit. Inde domum reverſus, cum ſuas manus ſanguine adhuc tinctas intueretur, abluendas non putavit, quod eum eſſe viri juſti ſanguinem diceret. Quinetiam ſuos ad ſe filios evocavit, eorumque capitibus cruentas manus imponens, *ſalutem vobis*, inquit, *o gnati*, *Pe-to-li ſanguis*, *vitamque afferat*. Poſtremo quod reliquum ſanguinis ejuſdem erat, lambendum duxit. His rebus geſtis admirabilem in modum aucta viri pietas erga martyrem, virtuſque fuit, eademque nocte colligendi ſanguinis, qui e capite, colloque ſtillatim in terram deciderat, cauſſa, in eum locum contendit, qui prope a mœnibus oppidi aberat, quo

in loco lictores humi corpus posuerant, cum funes, aliaque compararent, quæ opportuna ad idem corpus in agrum transferendum erant. Quas collegit guttas, ut quas pignora martyris esse judicabat, domum lætus importavit, ut a se instar thesauri summo studio servarentur. Postero die ad martyrii locum revertit, & lapidem, ad quem Sansius flexis genibus capite diminutus fuerat, sustulit, eumque, alio jam substituto, transtulit in suas ædes, atque honestissimo loco posuit, eidemque hæc omnino verba insculpsit: *Lapis, super quem venerabilis magister Pe in cælum conscendit.* Qui hujusce initii fidei, quod colligenti, contrectantique Chin-Ul-Yueno sanguinem, reliquiasque Episcopi Sansii Deus indidit, progressus fuerit infra videbimus.

Præfectus carcerum Alcoberum, & Diazium humãissime tractat.

LXX. Non est autem hoc loco consilium divinæ providentiæ prætermittendum, quo factum est, ut Alcoberus, Diaziusque gratiam a præfecto carceribus Quæsitoris inirent, cujus quidem præfecti opera impetratum perfacile fuit, ut Sansio ea, quæ supra demostravimus, officia adhiberentur. Igitur jam usque ab eo tempore, quo Alcoberus, Diaziusque in eos carceres conjecti fuerant, cum animadvertisset præfectus neque vestes ipsos, quibus tegerentur, neque pecuniam habere, neque scire quemadmodum exigu-

um

um victum, qui eis e publico ſuppeditabatur, coquerent, miſertus eorum, miniſtrum eiſdem, qui eorum ageret curam, attribuit, & duplam victus portionem, locumque, in quo ſeorſim ab aliis eſſent, aſſignari fecit. Quæ res illis magno commodo ad virtutem, pietatemque colendam fuit. Inde crebro eos inviſere, atque inviſendo eorum conſuetudine delectari cœpit, cumque propenſiore in eoſdem animo eſſe pergeret, ut ipſis una cum reliquis chriſtianis confabulari, atque agere liceret, conceſſit, remque illis gratam facturus, quæ ad eorum cauſſam pertinerent, nunciare, cum tempus hortaretur, non prætermiſit. Noſtri, qui Sinenſium mores perſpectos haberent, ſcirentque, eos non tam miſericordia, quam quæſtu moveri ſolere, dubitare initio, num hæc chriſtiani alicujus opera, magniſque pollicitationibus fierent: ſed paullatim experiundo, voluntate, non ſimulatione Mandarinum agere intellexerunt. Itaque occaſionem dimittendam viri apoſtolici non putarunt, quo minus ei, qui de ſe optime meritus fuiſſet, decreta religionis chriſtianæ proponerent; cumque ille magnopere fuiſſe delectatum ſignificaret ſe conſtantia animi, loquendique libertate, qua Kuo-Lucas uſus, dum Pro-Regi reſpondebat, fuiſſet, ut in illius manus libri venirent, quibus præcipua doctrinæ chriſtianæ capita continen-

tur, curarunt. Hos ille libros magna significatione honoris, existimationisque acceptos, non invitus legit, & studio, ac liberalitate, qua uti in nostros pergebat, animo esse se nonnihil in religionem, pro qua iidem exagitabantur, propenso demonstravit. Etsi vero intellectum nondum cuiquam nostrum est, assensus ne divino munere doctrinæ, initiatusque adhuc mysteriis christianorum fuerit; tamen gratiam illi divinitus fuisse ob sua, erga sacerdotes Dominicanos merita relatam constat. Nam cum, ducta jam pridem uxore, nullos ad illud tempus, quo contrusi nostri in carceres fuerunt, liberos suscepisset, quæ res, Sinensium moribus, institutisque, omnium turpissima existimatur; post ubi humanitate in Christi milites uti cœpit, nondum absoluto anno, auctus filio est, quod ille maximi beneficii loco habuit, lætusque in carcerem, Alcobero, Diazioque nunciaturus continuo accurrit.

Sacerdotum reliquorum quatuor, & Ambrosii, qui mortis damnati fuerant, ex Sinæ consuetudine, singulorũ generis capitalis sententia inscribitur.

LXXI. Interea Dominicani quatuor, qui Imperatoris decreto capitis condemnati, carceribus detinebantur, haud multo post, certo indicio, quod judices dedissent, eamdem se coronam consequuturos, quæ Sanzio obtigisset, intellexerunt. Est apud Sinenses in more positum, ut quarta quaque luna, quod tempus immensem majum solet incidere, Pro-Reges Sinen-

Sinenſis, Tartaruſque, & ærario, atque urbi Præfecti, Mandarinique duo vicorum, qui urbis mœnibus continentur, in ædes quæſitoris ſe conferant, congregatique de fortunis, capitibuſque reorum agant ita, ut Pro Reges, Præfectuſque, ærario honore loci, in quo ſedeant, præſtent, quæſitor decernendi auctoritate, ceteris antecellat. Ad hos judices, ubi convenerunt, provinciales, qui carceribus detinentur, propterea quod dicta, in eos ſententia mortis ſit, adducuntur, quibus, antequam in concilium veniant, ad humeros tabella chartacea inſtar vexilli, ut ſupra oſtendimus, alligatur, cui tabulæ & cauſſa, & genus ſupplicii, quo quiſque affici debeat, inſcribuntur. Circumponuntur præterea collo tabulæ charta contectæ, qua in charta res eædem ſcriptæ leguntur. Quinetiam manicas ligneas charta obductas, in quibus ſint foramina duo, ita componunt, ut manus in eaſdem immiſſæ ceu vinculo quodam conſtringantur. Poſt inſcribitur faciei cujuſque ſententia, quæ indicet vel decollationis hominem, vel alterius ſupplicii reum eſſe. Ordine deinde, ita ut quiſque prior eſt in carcerem contruſus, gravioreque ſcelere implicatus, inducuntur, una introeuntibus iis, qui ſunt ejuſdem flagitii accuſati. Qua judicii ratione fit, ut bidui, triduive intervallo extrema

ſententia de reis quadringentis feratur, tot enim fere numerari quotannis ſolent. Ex introeuntibus nihil judices percuntantur. Rei ut primum in conſpectum judicum venerunt, flexis genibus, corpus admodum, caputque inclinant Mox lictores accedunt, ſinguliſque humi flabellum, particulaſque maſſæ oryzeæ ad ferventis aquæ vaporem concoctæ, oboloſque trecentos, ac ſexaginta apponunt, atque, hæc, ajunt, tibi judices dono mittunt. Ad hæc rei quique, gratias ſe quas poſſunt maximas judicibus agere, reſpondent, paulloque poſt dimittuntur, ut locus ceteris, qui ſuccedunt, detur. Quum judices antea de omnium cauſſa cognorint,non eſſe multum in ea re temporis inſumendum putant. Hi, ubi adſiſtendi finem fecerunt, ſuos ad Imperatorem commentarios deferri curant, qui ita, ut ſupremis provinciæ, Pe Kingenſibuſque magiſtratibus videtur, poſtremam ſententiam dicit. Quamquam interdum uſuvenit, ut eos, qui capitis condemnati fuerint, in exilium pellendos decernat. Quos Imperator reos eſſe mortis decrevit, hi menſe decembri interficiuntur, propterea quod arborum folia decidere eo tempore ſoleant, idque jam ad interitum hominum opportunum eſſe Sinenſibus videatur. Huic judicio Dominicani Sacerdotes quatuor, ut qui capitis condemnati eſſent,

essent, IV. kalen. junias interfuerunt; primumque omnium, ut fert consuetudo, apud carcerum præsidem exiguo stylo dexteræ cujusque eorum Dominicanorum genæ litteræ illæ Sinenses duæ *Chan-Fan*, quæ *reum decollationis* hominem esse significant; Ambrosii vero genæ duæ aliæ *Hiao-Fan*, quæ in idem, atque *reus strangulationis*, decidunt, inscriptæ fuerunt.

LXXII. Hæc narrans Serranus, nullum se unquam vidisse confirmat lætiorem diem. Quo lictores (ajebat) stylo litteras genis insculpere pergebant, eo nostrorum animorum alacritas, lætitiaque augebatur, ut qui incidi faciei cujusque nostrum signa servorum Jesu Christi videremus. Cumque summo Servatoris Christi beneficio cooptati simus in suorum locum, jam nostra hæc esse capita desierunt. Atque ille quidem, quæ sua fecerit, cum voluerit, suo arbitratu tollat. Pergit porro: atque, utinam, inquit, aliquid nobis suppeteret boni, quod eidem offerre, consecrareque liceret. Hæc ego integre, sincereque loquor: Sed & Christus est dives, & liberalis, quamobrem arbitror servis exiguum, quod offerunt, perpetuo lucro futurum. Itaque gratias illi maximas, quod tot in nos, tantaque beneficia contulerit, & agimus & habemus. *Sit benedictus in secula*. Hæc Serranus Martyr,

Dominicani singulari animi fortitudine, dum genis sententia inscribitur, lætitia afficiuntur.

tyr, quæ ſane digna fuerunt, quæ nos inducerent, ut paullulum ab inſtituto digrederemur.

Judicibus iidem ſiſtitur, donoq; ab iis acceptam pecuniam lictoribus diſtribuunt.

LXXIII. Litteris, ita ut ſupra demonſtratum eſt, genis martyrum inſculptis, quæ litteræ cum ex atramento, ſanguineque conflatæ ſint, deleri ſcilicet numquam poſſunt, ad ſcapulas cuique vexilla alligarunt, quibus vexillis hujuſmodi verba inſcripta erant: *Hic reus plectendus capite eſt, propterea quod dolis, fraudibuſque animos hominum pervertat*. Circumpoſuerunt præterea collo tabellas, manuſque eorum ligneis vinculis, quemadmodum diximus, conſtrinxerunt, poſtremoſque una cum Ambroſio ad judices ingredi fecerunt. Quæ res magno illis ſolatio fuit, ut qui ſpatium nacti duabus horis, atque dimidia inter ſe colloquendi eſſent. Denique cum in conſpectum judicum veniſſent, iiſdem donis, quibus ceteri, aucti ſunt, ſed oblatos, cuſtodibus carcerum, lictoribuſque diſtribuerunt, qui pecuniæ cupidi eodem ipſo ſuperioreque die eos ſibi artibus, blanditiiſque conciliare curaverant.

Matthias Fu invidia Ethnicorum Focheo abire cogitur. Sancheſius ad noſtros ſubſidii cauſſa venit. Ly-Michaël,

LXXIV. Die IV. idus junias Matthias-Fu, quem vulgus Sanſii filium eſſe arbitrabatur, qui patris funus curatum veniſſet (nam ſumma fuerat eo in funere parando hominis pietas, ſummum officium, & diligentia, ut ad ſepeliendum Martyris

ris corpus, & colligendas reliquias divinitus missus videretur) commotus periculi magnitudine Fo-cheo Hing-hoam abire coactus est. Itaque proficiscens adiit ad nostros, qui carceribus detinebantur, significavitque quam invito animo ab eis discederet, simulque promisit, sese illis martyrii tempore præsto futurum. Paullo post, mense junio exeunte, Thomas Sanchesius viros apostolicos in vincula conjectos consolaturus, subsidiaque laturus, & veneraturus corpus martyris, tertio Fo-cheum venit; quibus in rebus cum duos, tresve consumsisset dies, Hinghoam ad suos reversus est. Contra hostes christiani nominis nihil intermittebant, quod ad incommodum christianorum pertinere videretur. Igitur, cum animadvertissent milites, qui ad viarum custodiam advigilabant, Ly-Michaelem quemdam fratrem Ly-Benedicti sedulo navasse operam, ut Episcopi corpus ad montem christianorum efferretur, ut sunt Sinenses pecuniæ maxime cupidi, ut citra quæstum nihil suscipiant, aliosque suis ipsi moribus æstimant, nonnisi magno accepto argento inductum in rem hominem putarunt. Ergo illius ad Pro-Regem nomen detulerunt, Pro-Rex ad sese inferioris ordinis Mandarinos evocat. Eis mandat, ut de re tanta cognoscant, & ad se referant. Itaque horum insidiis Michael IV. non. Quinctiles

quod cadaveri Sanii officia præstitisset, accusatur, paulloque post judicio absolvitur. Martyris corpus, Præfectorum jussu, in agrum refertur, ubi malefici sepeliri consuerunt.

ctiles capitur. Ad Mandarinum Heu-Kuonenſem adductus interrogatur, quantum ei pecuniæ, ut corpus Pe-to-li efferret, chriſtiani numeraſſent. Ille, ab Europæis duobus, qui in prætoriis eſſent carceribus, accepiſſe ſe nummum juliorum argenteorum quinquaginta; ab duobus aliis qui in carceribus quæſitoris, viginti, qua pecunia emiſſet feretrum, aliaque ad funeris uſum comparaſſet, reſpondet. Sed inſtat judex, atque rurſum ex homine percuntatur, cur feretrum ad montem chriſtianorum aſportaſſet? Ipſe diſſimulans qua de cauſſa id feciſſet, feciſſe ſe dixit gratı animi cauſſa in Sanſium Epiſcopum, cui, dum viveret, miniſtrarat; nec niſi accepta a præfecto carcerum facultate. Qua de facultate cum ab judice diligenter quæſitum eſſet, præfectuſque carcerum rem confirmaſſet, nam idcirco ad judicem adierat; Ly-Michael, & Mandarinus, cui agri concredita cura erat, qui item in eadem erat cauſſa, contruſuſque in carcerem fuerat, judicio abſoluti, poſtque triduum dimiſſi ſunt. At in Martyrem omne virus effuſum eſt, cui ne mortuo quidem parcendum judicarunt. Nam nonis juliis ſepulcrum, ubi condita olim pleraque eorum, qui chriſtianæ religionis propagandæ cauſſa in Sinam veniſſent, corpora fuerant, poſtremoque Sanſii, de-

jici jusserunt, hujusque corpus in agrum referri, in quo tumulari consueverunt, qui supplicio publico interierint.

Dominicanorum supellex igni crematur.

LXXV. A. d. VI. idus junias, quod, rogante Pro-Rege, Imperator decreverat de re nostrorum sacerdotum, confectum est. Igitur ad tribunal quæsitoris libri, supellex, resque universa, quæ ad eos pertinebat, igni cremata est, & fisco pecunia addicta, quæ pecunia fuerat ex eorum subsidiis intercepta.

Christiani Fo-ganensem agrum incolentes vexantur: Lin-Matthias in judicium rapitur, & cruciatur; sed tandem liber dimittitur.

LXXVI. Neque vero Fo-chei tantum christiani vexabantur. Nam quo tempore in urbe ea gerebantur, Fo-ganensis Mandarinus per omnem Fo-ganensem agrum magnis, gravibusque molestiis parentes virginum, fratresque afficiebat, ut eas nuptui dare cogerentur. Celebris autem inter eos, qui sunt ab eo Mandarino exagitati, christianus quidam Mo-yangensis fuit, integris moribus homo, ætate annorum LXXVII., Lin-Matthias nomine, qui tertium Prædicatorum Ordinem profitebatur, & filias habebat tres eidem addictas instituto. Is jussu Mandarini comprehensus, atque ad tribunal adductus, cum interrogaretur, num christianus esset, filiasque haberet, quæ virginitatem profiterentur, quin ullo metu afficeretur, affirmavit. Tum judex: ergo, ait, posthac christianus ne esto, & filias nuptui dato, Cui ille: mihi vero, ait,

neque

neque deſerere ſanctiſſimam Dei legem licet, neque fas eſt filias, quæ Deo integritatem ſuorum corporum conſecrarint, adigere ad matrimonium. Ac judex: tu ſi dicto audiens fueris, clementia in te utar; ſin minus, jubebo te flagris exanimari. Ille autem: fac, inquit, tibi quod lubet: mihi ab Dei injuria abſtinere certum eſt. Qua reſponſione Mandarinus ira inflammatus, hominem denis flagris valide cædi jubet; ratuſque fractam ſupplicio animi virtutem, iterum interrogat, velit ne imperata facere. Huic rurſum ille reſpondet, ſe nullo umquam modo a propoſito diſceſſurum. Quamobrem judex majorem in modum commotus, atque ægre ferens, rurſus affligi eum flagris jubet pari numero, atque ad ſtatuas deorum vi trahi: quo cum chriſtianus veniſſet, ſtatuam non modo non eſt veneratus, ſed etiam contemſit, ſignificans emori ſibi certius eſſe, quam eo ſe flagitio implicare. Itaque vicit ſua conſtantia ſævitiam perſequutoris, qui veritus, ne quod erat gravi, & valitudine affecta, ſi rurſus cæderetur, vita excederet, reduci eum in carcerem imperavit, ejus fortitudinem alias faciliori tempore tentaturus. Neque eo ſecius paucis poſt diebus, mutata ſententia, liberum, & gloria confeſſionis ornatum domum dimiſit.

Atque ad hoc tempus dumtaxat commen-

mentarium de rebus Sinenſibus Serranus perduxit, quo ex commentario, ſeu ſeriem rerum ſpectes, atque aptiſſimum ordinem, ſeu diligentiam, qua omnia minutim eſt perſecutus, ſeu ſcribendi rationem, quæ lætum quiddam, & jucundum præſefert, apparet, quanta eſſet animi æquabilitate, quantoſque haberet ſpiritus, qui tot affectus malis ita potuit ſcribere. Nos quæ de ejus, & collegarum illius triumpho, tum de reliquis rebus eodem pertinentibus mox ſumus ſcripturi, ea ex certiſſimis monumentis, ex litteris cum martyrum, tum aliorum, qui propagandæ religionis munere funguntur, collectis deſumemus, eaque ſic deſcribemus, ut temporum ordo ſervetur, non ſecus atque eſt ab Serrano ipſo factum, quibus temporibus omnia contigerunt.

LXXVII. Cum nunciatum Macai eſſet extremo menſe ſextili de martyrio Episcopi Mauricaſtrenſis, plaudere omnes chriſtiana pietate, ac Dominicani imprimis, ad quos maxime ea res pertinebat; inque æde ſua ipſi ſacra, poſt accenſa per triduum veſpere per urbem lumina, cum adeſſent Epiſcopi Macaunenſis, & Ecrinenſis, hominesque nobiliſſimi civitatis, canticum *Te Deum* concinentes, ſolemni ritu ſupplicaverunt. Eodem nuncio accepto Pe-Kingenſis Epiſcopus ſupplicationem decrevit. Paullo poſt delatæ ad

Macai, & Pe-Kinghi, Sanſii martyrio cognito, ſupplicationes habentur. Serranus Tipaſitanorũ Epiſcopus dicitur. Matthias Fu Focheum revertit, & Sacerdotibus, atque Ambroſio ſacra adminiſtrat.

Alco-

Alcoberum ſunt, qui, ut diximus, erat in carceribus quæſitoris, die VIII. kal. octobres a Pontifice Maximo litteræ, quibus P. Franciſcus Serranus Tipaſitanorum Epiſcopus, & Fo-Kienæ provinciæ Vicarius Apoſtolicus dicebatur. Has litteras Matthias-Fu ab oppido Chang-cheo Hinghoam Thomæ Sanchefio miſerat; iſque, etſi inclinata erat ætate, & valetudine adverſa, Hing-hoa Fo-cheum detulit: verum, quod in aliis carceribus erat Serranus, & carceres ipſi ſumma diligentia, ne cui aditus eſſet, cuſtodiebantur, ad eum mittere, niſi a. d. VII. kal. octobres, non potuit. Sed Matthias-Fu, pro ſumma ſua in deſignatos martyres pietate, impetrare ab ſe ipſo non potuit, ut ab eis diutius abeſſet. Itaque nihil veritus diſcrimina, in quæ ſe ipſe conjiceret, cum eſſent adhuc eædem aditus difficultates, quas ſupra diximus, maxima uſus prudentia, & fortitudine, extremo octobri menſe Focheum revertit: ibique die III. kal. Kuo-Ambroſio Hy-jino utrumque *Pœnitentiæ*, atque *Euchariſtiæ* ſacrum, eamdemque *Euchariſtiam* noſtris, Royo prid. kal., Diazio, & Alcobero kalendis, ac VI. nonas Tipaſitano Epiſcopo, in ſuis cuique carceribus adminiſtravit. Atque hi deſignati martyres laudandorum Siamenſis gymnaſii alumnorum finem nullum faciunt, quorum tanta uſi ſunt ope-

opera , ac Matthiæ imprimis , cujus de fortitudine , & caritate ſæpe demonſtravimus . Quæ nos libentiſſime commemoramus, ut noſtrorum martyrum in eos gratus animus conſtet , eorumdemque Siamenſium ,ac Matthiæ præſertim , res præclare pro religione geſtæ pro merito omnium laudibus efferantur .

Chriſtiani tres exilio damnati , in Tartariam una cum uxoribus , & filiis proficiſcũtur , ac prima itineris nocte Clara moritur .

LXXVIII. Per idem tempus Kuo-Lucas-Kin-jinus , Uvang-Thaddæus Gochinus , & Joſeph Chung-Hoëyus noſtrorum hoſpites, quos exilio damnatos diximus decreto Imperatoris , pulſi in Tartariam ſunt . Nam etſi ſæpe multumque actum cum Fo-cheenſibus Mandarinis fuerat , ut eorum opera chriſtianis iis tribus redimendi pecunia exilii facultas fieret , ſaltemve ut ne uxores , quod eſt in legibus Sinenſium , una cum ipſis proficiſci in exilium cogerentur ; impetrari tamen omnino non potuit ; indignos enim eſſe , in quos judices miſericordia uterentur , propterea quod deſciſcere ab Chriſti fide pertinaciter recuſaſſent . Quos tamen neque tanta iſta ſeveritas judicum , neque uxorum miſeratio , quas in ſuas ipſi calamitates adducerent , aut matrum , & ſororum , quas relinquerent , quæque eſſent ætate fere gravi , nec ulla denique acerbitas potuit a ſententia deterrere . Itaque una cum uxoribus , duobuſque infantulis, Fo-gano diſceſſerunt , quo ductos fuiſſe

dictum est supra, ut vel ethnici ipsi lacrimis tantam calamitatem prosequerentur, quum homines innocentissimos cernerent iter adeo longum suscipere, spe ipsis omni redeundi domum, suosque revidendi sublata. Cum prima nocte in vicum veniissent, quem Lien-heu vocant, ubi plerique christiani sunt, virgineisque nonnullæ tertii Ordinis Prædicatorum: die insequenti ad ceteras eorum ærumnas magnus ex Claræ morte, uxoris Chin-Josephi, accessit dolor. Multa hæc erat mulier perpessa mala, multasque indignitates: quater ipsa tormento ad manus affecta; maritus conjectus in carcerem; direpta domus, amissa bona, ipsaque exulatum in Tartariam cum marito missa, & animi assiduo dolore excruciata, quem tot, tantisque ex malis acerbissimum oriri erat necesse; quas res, cum tenui esset valetudine, diutius perferre non potuit. Ac ejus quidem mors christianis, qui aderant, pretiosa est visa, eoque evasisse putanda est, ut ea molestias exilii cum cælesti beatitudine commutaret. Ea mortua, reliqui vincto catenis collo, manicisque constricti iter prosequebantur stipati militibus, qui diligenter cavebant, ne multum subsidii acciperent, viroisque pro summa legum severitate habitare in carceribus omnino cogebant, adeout nonnisi ægre christianus quidam, qui Stephanus appel-

appellabatur, in pago Lo-Yuen, ſe pro iis ſponſore oblato, obtinuerit, ut ſibi unica nocte domum eos excipere liceret.

LXXIX. Die IV. nonas novembres Fo-cheum venerunt, cunctique, nulla ſexus, aut ætatis ratione habita, continuo in carceres Heu-Kuon-Hienſes, in quibus Alcoberus erat, conjecti ſunt. Quæ illis res tot inter mala commodiſſime accidit, ut unum ex noſtris, quos Patrum loco habebant, viderent, eoque conſolatore, miniſtroque *pœnitentiæ* ſatis libere uterentur. Nam Deus O. M., cujus cauſſa in tantas inciderant calamitates, eaſque jam fortiter tolerabant, non eſt paſſus carere eos, uxoreſve eorum ſubſidiis, quibus illorum animi moleſtiis levarentur, & ad reliqua perferenda incommoda confirmarentur. Aderat per id tempus Fo-chei Paulus *Sù* Sinenſis, ab Sacra Congregatione de Propaganda Fide chriſtianam religionem in eas regiones promulgatum miſſus, qui eo venerat, ut veneraretur Sanſii corpus, noſtroſque, quibus poſſet rebus, juvaret, animoſque chriſtianis adderet, quos inimici chriſtiani nominis exagitabant. Is provinciam Su-Chuenſem deſerere, hoſtium metu permotus, ſtatuerat, quod, cum eo tempore miniſter quidam ſacrorum chriſtianorum comprehenſus fuiſſet, aliique duo propipuiſſent inde ſeſe, ipſe, præ-

Exules Fochei unum ex noſtris Sacerdotibus in carceribus offendunt, eoque miniſtro Sacrorum utuntur. Paulus Su afflictis rebus chriſtianorum forti animo ſubvenit.

fertim quod ejus nomen ad tribunalia delatum fuerat, magno in periculo relinquebatur. Quamobrem primum Macaum contendit, inde ad Xen-Siam provinciam: ubi cum de morte Mauricastrensis Episcopi audisset, accepisseque collegas illius contrusos in carcerem, & Matthiam-Fu in eam suspicionem vocatum, quod filius esset Sansii, fugere coactum, quibus rebus summo in discrimine christiana res versaretur; continuo, neque pericula moratus, quæ se subiturum prospiciebat, neque itineris longitudinem, Fo-cheum ire contenderat, ut afflictis rebus, tam necessario tempore, pro gravitate sui muneris subveniret.

Paulus Su exulibus sacra administrat: ipsi exules magnis in itinere incommodis pressi Pe-Kingum versus contendere jubentur.

LXXX. Itaque licuit ei nonis novembribus in carceres ad christianos adire, sacramque *Eucharistiam* viris tribus, quos diximus, facile administrare. Ad mulieres vero difficilis cum esset aditus, propterea quod, Sinensium instituto, in carceribus seorsim a viris summa diligentia, & cautione custodiebantur, huic difficultati Paulus, se medicum simulans, occurrit, feminisque duabus administravit sacramenta *pœnitentiæ*, atque *Eucharistiæ*. Quibus rebus exules vehementer lætati animis, hilaritatem vultu significabant, ostendebantque jam ferre adeo libenter se quæcumque ex Dei voluntate acciderant, ut neque superiorum malorum

lorum recordatione, neque impendentium timore commoverentur. Fo-chei dum morarentur, fuere, qui miſericordia ducti a Pro-Rege flagitarent, iis ut in ea urbe hyemandi facultas fieret, quod proxima hyems eſſet, Thecla autem, & Paula (nam erant hæc nomina mulierum) adverſa valetudine conflictarentur, neque poſſent ipſæ, infanteſque frigora, quæ maxima in Tartaria ſunt, ſuſtinere. At Magiſtratus, quorum erant in chriſtianos majorem in modum ira concitati animi, concedendum non putarunt, & neque ſexus infirmitatem, neque ætatulam puerorum morati, quæ res maximam habent natura ipſa vim miſerationis, Pe-Kingum omnibus ſeſe ut conferrent, juſſerunt, ut ab regiis judicibus exilio in Tartaria locus conſtitueretur. Itaque coacti iter moleſtiſſimum aggredi, die IV. idus novembres Fo-cheo diſceſſerunt, acceptis a Paulo Sù litteris ad collegas miſſos a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, & ad chriſtianos Pe-Kingenſes nonnullos, quorum opera, quoniam major levatio reperiri nulla poterat, illud ſaltem conſequerentur, ut locus eis aliquis Tartariæ decerneretur, quo in loco chriſtiani eſſent, ut ne ſacris carerent.

LXXXI. Interea odio perſequutorum, ac multo etiam magis levitate, atque

Sacerdotes noſtri, calumniis promul-

gatis, quas Pro-Rex conflarat, magno dolore afficiuntur; easque litteris depellere conătur.

que imprudentia christianorum quorundam, magna nostri sollicitudine sunt affecti, quantam cruciatus corporis acerbissimi numquam attulerant. Nam cum Pro-Rex, quæ ipsis responsa, ut docuimus, per calumniam affinxerat, ad judices, ut mos est, per omnem provinciam misisset, ut in tabulariis publicis reponerentur; inde autem exempla earum responsionum nonnulla in vulgus manassent: non defuerunt, qui Pro-Regis ethnici hominis, omnique conatu optimos viros perdere laborantis testimonium pluris facerent, quam summam Episcopi, sociorumque opinionem innocentiæ, & virtutis; fidemque calumniæ, quæ perfacile convinci posset, habendam arbitrarentur. Nam homines integra mente, qui parati vitam pro Christi fide fundere essent, ineptias ejus modi, & mendacia confirmasse, quis putet? Itaque per varias jam Sinæ provincias efferebatur is error, atque in Nan-Kingensi quidem, plurimum invaluerat; ut, quamvis Nan-Kingensis, & Pe-Kingensis Episcoporum, atque Ecrinensis imprimis, studio, labore, opera patefacta fraus esset (quam, temeritate, improbitateque sepositа, detegere, atque odorari per se facile quisque potuerat) nihilominus afferretur ad nostros is rumor. Quo nuncio hi gravissime commoti, quod perspicerent ma-

gnum

gnum inde redundare in christianos ceteros damnum posse, magnamque Episcopo, qui ad sanguinem functus munere sanctissime fuerat, injuriam irrogari; a. d. III. nonas, pridie nonas, nonis novembr. ex suis quisque carceribus, datis ad Miraltam litteris, primum graviter conquesti, quod extitissent, qui de sanctissimo Episcopo, cujus tanta assidue fuissent doctrinæ, fidei, constantiæ, fortitudinis exempla, ita sibi persuaderi paterentur; testati sunt singuli, aliqui etiam jurejurando confirmaverunt, plena ea esse falsitatis, quæ sibi, atque Episcopo ab iniquo Pro-Rege fuissent afficta; suas vero, atque Episcopi responsiones non discrepare ab his, quas Serranus descripsisset. Quorum cum sit tam apertum testimonium, nihil est opus calumniam scelere conflatam repellere. Nam quod ii affirmant, quos, ut facerent sibi fidem, Christus ipse deligendo aptissimos existimavit, præsertim cum ipsi de se, rebusque dicant, quæ sibi acciderunt, responsionesque Episcopi referant, quas fideliter in scripta relatas, Episcopus idem recitatas audivit, approbavitque; id si probare velim, vereor, ne injuriam facere videar hominibus, quorum major fides, atque constantia fuit, quam ut vocari omnino in suspicionem possit.

LXXXII. Dum hæc ad conflandam Johannes a S. Maria Dochri-

minicanus ex Philippinis Insulis in Sinam venit; atque, ut sibi a Mandarinis caveat, aliquamdiu sese in occulto cõtinet.

christianis invidiam gerebantur, die IV. idus novemb. Johannes de S. Maria Dominicanus clam Chang-cheum venit. Nam Philippinenses Dominicani, cum de sociis conjectis in carcerem accepissent, hunc continuo, qui christianos vi hostium exagitatos confirmaret, sociisque subveniret, subsidio miserunt. Erat is natione Sinensis, Regisque Hispaniarum eximio beneficio in eorum numerum cooptatus fuerat, quos duodenos Sinenses, aut Tonquinenses in Manilensi Collegio suo ipse aere alendos, docendosque curat, addendos mox, ubi justam ætatem attigerint, Dominicanis, qui in utroque illo regno operam propagandæ religioni diligentem navant. Itaque ut munere ita, ut par erat, fungeretur, ad quod obeundum a Præfectis suis mittebatur, in navem Hispanienſem, quam S. Andreæ vocant, quæ ab Philippinis Insulis iter in portum Emuyensem instituebat, conscenderat. Verum, cum prospiceret, adversis ventis, difficili navigatione, iter longius futurum; ubi ad Insulam Tongsoam pervenit, ut citius, quo contendebat, pertingere posset, celeremque operam dare christianæ rei, una cum Stephano quodam Sinensi christiano e navi descendit, atque in oram continentis advectus, Chang-cheum venit. Quæ res divino sane consilio acci-

disse

disse videtur, ut adversa tempestate aliam inire rationem itineris cogeretur; nam, si ea, quam instituerat, retenta, ad portum Emuyensem venisset, vix eripere se periculo potuisset, ne caperetur, & in carcerem conjiceretur. Nam sive quod de ejus adventu antea ethnici cognorant, sive quod suspicabantur, cum eum Manilam in disciplinam profectum scirent, in Sinam reversurum, exitu fere septembris mensis contulerat se Mandarinus Fo-ganensis ad eum vicum, quo in vico illius erat domus, deque illo, & de Sinico, & christiano illius nomine diligenter quæsierat. Jam inde ab eo tempore idem ipse Mandarinus christianos quosdam vocaverat, iisque in hanc sententiam locutus erat: scire se, Fung-Johannem una cum Europæis duobus esse reversum; ejus videndi desiderio teneri se; quamobrem ne timeret, atque libere ad se veniret: ei, christianisque ipsis, modo Europæi abirent, nihil, quod metuere possent, futurum mali. Verum quod ille nondum reverterat, etsi jam Mandarinus multo adhuc diligentius quæsierat, ejus tamen vestigium deprehendere nullum potuerat. Cujus inquisitionibus christiani admoniti facile intellexerunt, qui esset in Johannem animus mandarinorum; qui certior de re factus, ne interciperetur, neu suo munere carceri-

ceribus prohiberetur, latendum sibi esse censuit, seque Chang-chei aliquamdiu in occulto continuit.

Hispanien-sis navis præfectus de accipiendo Sanſii corpore diligenter curat; sed Ethnici corpus comburunt: Christiani cineres, partemque ossium colligũt.

LXXXIII. Quum ad Emuyensem portum S. Andreæ nautæ appulissent, ibique expediendis negotiis, ad quæ missi fuerant, morarentur, Chung-Tu, seu provinciis duabus Præfectus, cui erat Che nomen, ad lustrandam, invisendamque Fo-Kienam provinciam mense decembri profectus est. Qui cum Emuyum veniſſet, atque ab Josepho Passarino Præfecto navis maximis honoris, & observantiæ significationibus exceptus, luculentissimis verbis gratiam habere illi se profiteretur, & relaturum promitteret: Josephus pro sua in Sanſium religione, singularique in designatos martyres pietate, spiritus sibi sumpsit, ab eoque postulavit, sibi ut Sacerdotes Dominicanos quatuor, qui carcere detinebantur, concederet; velle enim se Manilam illos trajicere. Cui ita ille respondit: quod postulet, id, nisi Prætoris Manilensis litteris testibus acceptis, suscipi omnino non posse: præterea causſa ad Imperatorem delata, jam non integram sibi rem esse, neque decernere se quidquam posse, nisi ab Imperatore accepta facultate, ejusque expectari litteras oportere: nihilominus polliceri suam operam se, omniaque, ut ei satisfaceret, quæ posset, ten-

tentaturum. Qua ex reſponſione, id, quod res erat, præfectus navis facile ſuſpicatus, Chung-Tu voluntate ab eo procul abeſſe, ut noſtros dimitteret, atque ea ſpe dejectus, experiundum ſibi putavit eſſe, ut capite Mauricaſtrenſis Epiſcopi potiretur. Cujus quum rei ſummo jam deſiderio teneretur, illud etiam ad ſpem acceſſit, quod Tartarus quidam curaturum id negotium ſe diligenter argenteis nummis, quos ſæpe diximus, quingentis, ac nonaginta tribus ex pacto promittebat; quam Joſephus pecuniam, quod, pro animi ſui inſigni pietate, exiguam tanto theſauro comparando exiſtimabat, libentiſſime ſpopondit. Verum his ex officiis longe alia, ac Joſephus confidebat, conſecuta res eſt. Etenim Chung-Tu, cum ad diem IV. idus januarias an MDCCXLVIII. Fo-cheum revertiſſet, mandarinos duos præfectos ſuburbiis Heu-Kuon-Hienſi, & Min-Hienſi, quæ ſuburbia ipſis Fo-gani muris contineri ſupra eſt demonſtratum, continuo ad ſe vocat, & Sanſii corpus igni cremare jubet ſumma ſeveritate, ſibique judiciali ratione ut probent, mandat, una eſſe cum reliquo corpore Sanſii caput. Nam etſi diligentiſſime caverat præfectus navis, ne ea efferrentur, quæ ad obtinendum caput martyris tentaſſet; Sinenſes tamen, fide, quam dederant, fracta,

rem

rem omnem Chung-Tu aperuerunt, qui contra omni ſtudio, ille ut ne obtineret, laboravit. Chung-Tu, cum ea, quæ diximus, prætoribus mandata dediſſet, ſilere eos, remque omnem tacito adminiſtrare juſſos ab ſe dimiſit. Quod ſecus accidit: nam ſive quod ſunt Sinenſes natura ad tacendum difficiles, ſive quod aut pietate, aut quæſtu moverentur, quidam ex Vu-chuis (nam ita ii vocantur, qui cadavera hominum ſupplicio interfectorum curant) chriſtianos de tota re certiores fecerunt. Chriſtiani, hoc nuncio accepto, nihil intentatum reliquere, ut ne ſanctiſſimi Epiſcopi corpus combureretur. Sed eorum tamen conatus fuere fruſtra; quod mandarini, quibus id negotii datum fuerat, eodem tempore una cum Vu-chuis, ceteriſque apparitoribus die VII. kal. decemb. adhibita ſimulatione, prætermiſſa occidentali porta, qua porta proxime ad eum locum itur, ubi comburendum corpus erat Epiſcopi, porta, quæ in ſeptemtriones ſpectat, oppido exierunt. Ubi ad occidentalem agri locum venerunt (Sinenſes Sy-Tay appellant) quo loco corpora cuſtodiuntur eorum, qui interfecti fuerint decreto Imperatoris, feretrum exponi martyris imperavit; eoque expoſito, antequam aperiretur, cuſtodem interrogant, ſitne caput martyris una cum reliquo

liquo corpore.. Qui cum affirmaſſet, tum aperiri feretrum jubent, ut de ipſa re, deque cuſtodis reſponſo certo cognoſcant. Igitur aſſe diſrupta, quæ aſſis feretrum claudebat, elevatoque panno, magna omnium admiratione, atque perturbatione animorum, corpus apparuit Epiſcopi, ipſumque etiam caput eodem vigore coloris, quo fuerat vivens, vivacibus oculis, integra barba, capilliſque, totum denique corpus incorruptum, ac ipſæ etiam veſtes, octavo jam menſe ab obitu, mundiſſimæ, nulla macula. Quibus rebus eſſe id Epiſcopi corpus, de quo quærebant, certiſſime efficiebatur, raptique mandarini in admirationem continere ſe ipſi non potuerunt, quin exclamarent: optimum certe ſenem, ſanctiſſimiſque moribus fuiſſe, gladioque per ſummam injuriam percuſſum; tamen quæ imperata a præfecto eſſent, omnino fieri oportere. Ergo feretro ligna circumponunt; applicatoque igne incendunt. Quo tempore res accidit admiratione digna. Nam cum in tertiam jam horam ignis circum arderet, comburi corpus adhuc non potuit; aliaque afferri ligna neceſſe fuit, majuſque incendium excitari. Cujus incendii vi cum in minutiſſima fruſta eſſent redacta oſſa martyris, mandarini colligi cineres juſſerunt, eademque contrita oſſa, atque in puteum,

ſeu foſſam, quæ eſt in eo loco, omnia conjici. Nam etſi eſt apud Sinenſes in more poſitum, ut, ſiquod cadaver igni crematum ſit, cuſtos ejus loci, ubi cre-matio ſit facta, cineres, oſſiumque fragmenta, quo ab propinquis, ſi velint, pecunia redimi poſſint, in urnam cretaceam colligat, inſcripto urnæ hominis occiſi nomine; tamen mandarini, ut voluntati præfectorum obſequerentur, quorum illum eſſe animum perſpiciebant, ut ne chriſtianis redimendarum reliquiarum facultas relinqueretur, neu cultus martyris propagaretur, vel ipſius Imperii conſuetudines violare non dubitarunt. Neque eo ſecius colligi illa juſſerunt decenter, omnique honoris ſignificatione, fidem aſſidue ſuam conteſtantes, non voluntate ſe, ſed præfectorum auctoritate inductos, tanta uti acerbitate. Aderant, dum hæc gerebantur, magnumque animis dolorem capiebant, Paulus Su, chriſtianique Ly-Ignatius, Ye-Paulus, Lo-Petrus, & Cathecumenus Chin-Ul-Yuenus, habebatque is ſecum filium, majorem natu, qui cum ſe ethnicis immiſcuiſſet cineres colligentibus, oſſium fragmenta aliquot, dum ad foſſam deferebantur, furtim ſubripuit. Re perfecta, apparitores abierunt: tum accedentes chriſtiani, & Paulus Su propius ad locum, ubi crematum cadaver fuerat, nonnul-

nullas oſſium particulas, quæ carbonibus, & cineri immixtæ remanſerant (nam eodem in agro reliquerant ethnici hæc ſepulta) ſummo ſtudio, ſummaque pietate diligentiſſime ſelegerunt. Quæ a nobis omnia ita deſcripta ſunt, quemadmodum ex teſtimonio Pauli Su Notarii Apoſtolici accepimus, qui ſuis ipſe oculis ea cum vidiſſet, tum die VII. kal. februarias an. MDCCXLVIII. rite teſtatus eſt. Aſſem feretri infimam, quæ ex incendio ſupererat, ne in loco tantæ ignominiæ relinqueretur, Cathecumenus Chin-Ul-Yuenus, uſus etiam operâ filiorum, altero a crematione die Ly-Benedicti domum intulit; qua in aſſe, ita ut Dominicus Joſephus-Yuenus teſtatur, de cujus adventu in oppidum Fo-cheum mox demonſtrabimus, carbones, & cineres humore quodam oleoſo imbuti apparent, ac partes etiam quædam quaſi adipis caloris deſtitutione coagulatæ.

LXXXIV. Verum chriſtiani, niſi oſſa obtinuiſſent, quæ in foſſam projecta fuerant, non eſſe ſibi quieſcendum putabant; ac Paulus Su imprimis, quod in eam rem præ ceteris ſingulari ſtudio ferebatur, cum nullum perficiendi aditum reperiret, ſpe dejiciebatur, magnoque dolore afficiebatur. Quum hac ſollicitudine teneretur, nunciatum ei eſt,

Reliqua oſſa chriſtiani e foſſa extrahunt: eaque quemadmodum diſtribuenda ſint, Serranus decernit.

cum

cum loci cuſtode conventum ex pecunia eſſe, ut a.d. 1 x. kal. febr. chriſtiani effoſſas reliquias accipiant. Ipſe, quod maxime cauto eſſe opus intelligebat, noctu, adſcitis ſibi ſociis Ly-Michaële, Chin-Ul-Yueno, hujuſque filio majori natu, in agrum contendit. Ubi eo ventum eſt, Chin-Ul-Yuenus ad oſtium ſepulcri, cuſtodiam acturus, manſit: tum in ſepulcrum ſe reliqui demiſerunt, filius primum ejus, tum Paulus, ac poſtremo Ly-Michael. Hi, ubi ſepulcrum ingreſſi, ſepulcrum ipſum offenderunt plane mundum, nullis oſſibus, niſi martyris, quæ erant omnia in acervum coacta prope ſepulcri aditum; continuo gratias Deo agere, quod reliquias ſanctiſſimi Epiſcopi ſingulari providentiæ munere, conſilioque ſervari eis voluiſſet, cœperunt; tum eas in ſacculos, quos ad eum uſum attulerant, immiſerunt. Re bene, ac feliciter geſta, Paulus cum ſociis ingenti plauſu, ac lætitia reliquias domum Ly-Michaelis detulit; ac nocte inſequenti cineres etiam martyris, quos fuiſſe in agro ſepultos ſupra docuimus, pari diligentia, & felicitate recuperavit. Tali modo omnibus Sanſii reliquiis receptis, earum tribuendarum ex Tipaſitani Epiſcopi voluntate, cui integram eſſe rem Paulus voluit, inſtituta hæc ratio fuit, ut ſex in partes tribuerentur, quarum ſingulæ Romam, Manilam, Fo-ganum, Cang-

Cang-Cheum, & Hing-hoam, retenta Fo-chei una, mitterentur; ceteriſque hominibus, quos Serranus diceret, ex iis darentur, quæ inter cineres ſelectæ fuerant. Atque de his quoque rebus teſtimonium extat Pauli Su rite firmatum ad dies VII. kal. febr., IV. non. martias; cujus viri tanta fuit iiſdem in rebus curandis opera, tamque aſſidua.

Chung-Tu, novis conflatis calumniis, inquiri in chriſtianos diligenter jubet.

LXXXV. Chung-Tu cum tanta hæc in corpus martyris edidiſſet exempla crudelitatis, nondum exſaturato odio, mox in chriſtianos, ſacerdoteſque noſtros carceribus afflictos ſævire inſtituit. Qui etſi odio, quo erat in chriſtianam religionem animatus, movebatur, cauſſas tamen ſæviendi per ſpeciem obtendebat duas. Prima erat cauſſa adventus navis S. Andreæ ad Emuyenſem portum, qua capta occaſione chriſtianos, id quod pridem paraſſent, rebellaturos perſuadere conabatur, quare Mandarinis negotium, ut per ſua ſinguli territoria in eos diligenter inquirerent, qui chriſtianiſmum profiterentur, dedit. Altera erat cauſſa, neque ea minus levis, & falſa, quam prior eſſet, quod initio anni prope Kien-ningam, quæ urbs centum viginti millibus paſſuum Fo-cheo abeſt, nonnulli e ſecta *jejunantium* ab quodam XIII. annorum adoleſcente concitati, qui Mo-ey-ly dæmonis ſpiritu, inſtinctuque aſſlari prædicabat ſeſe (cujus

dæmonis in vico quodam, ab Kien-ninga millia paſſuum duodecim, magnus imprimis eſt cultus) defecerant, imploratáque hujus ope magno tumultu convenerant, & Kien-ningam urbem aggredi paraverant: quos ducenti milites, obviam a prætore miſſi, in itinere aſſecuti, commiſſo prælio, cum illi vim militum, impetumque aliquamdiu multa virtute ſuſtinuiſſent, tandem, viris, feminis, puerisque numero ad quingentos in prælio occiſis, reliquos captos quadrigis Fo-cheum duxerunt. Neque tamen erat credibile, vel omnino ſpectata naturæ ratione, noſtros Kien-ningenſem tumultum commovere potuiſſe, quorum tanta eſſet ab iis, qui defecerant, religionis diſſimilitudo, tantaque regionum longinquitas, præſertim cum cuſtodia carcerum tenerentur; neque ſubeſſe ſuſpicio ulla poterat, unicam Europæorum navim, eamque non ad bellum paratam, ſed mercatoriam, in qua eſſent homines exiguo numero, pertinere poſſe ad rebellionem in Fo-Kiena provincia, magnis copiis inſtructa, concitandam. Verum cum Pro-Rex, & Mandarini, qui cauſſam noſtrorum ſacerdotum cognoverant, & per ſummam injuriam, veritate rerum, æquitateque judicii contempta, acta falſitatum referſerant, chriſtianos omnes velut ſtudio ſeditionis ductos traduxiſſent, ſacer-

cerdoteſque auctores turbarum, & principes rebellionis feciſſent: Chung-Tu, ſeu quod morem gerendum judicibus exiſtimaret, ſeu quod eam invidiam ipſe magis, magiſque conflare, augereque vellet, juſſit in chriſtianos diligenter inquiri, ac innocentiſſimos viros reos haberi facinoris, quod ethnici perpetraſſent.

LXXXVI. Igitur ſacerdotes noſtri, qui tot paſſi jam fuerant calamitates, die IX. kal. febr., illius juſſu, manicis, pediciſque conſtricti diu, noctuque nova moleſtia ſunt affecti; ac Serrano, majori adhuc ſeveritate, ſera vinculorum eſt clauſa, propoſita, ſi quis aperuiſſet, vicenorum flagrorum pœna: chriſtiani non aditu ſolum, ſed etiam acceſſu carcerum prohibiti: ex carceribus exire vetiti vel ipſi cuſtodes: exploratores adpoſiti, qui cuſtodum agendi rationem diligenter obſervarent: graves conſtitutæ pœnæ, ſi quis audiens dicto non fuiſſet: decretum in Mandarinos factum, ni commiſſos ſibi carceres diligenter cuſtodiſſent, ut e gradu dejicerentur: horumque interdictorum exempla in carcere Heu-Kuon-Hienſi expoſita, ea re adjecta, ne quis in carceres quid deferret, neu quis reciperet. Atque ut legem ſupplicii metu firmaret Chang-Tu, cum accepiſſet, chriſtianis nonnullis aditum ad ſacerdotes datum, neque comprehendere jam chriſtianos poſſet, cuſtodes carcerum,

Sacerdotes arctius vinculis cõſtringũtur, &, nequis ad ipſos adeat, cavetur: cuſtodes carcerũ duo, quod chriſtianis aditum in carceres conceſſerint, verberibus damnantur: nihilo ſecius Dominicus Yenus, & Lychael, magno cum periculo, ſacerdotes invisũt.

Heu-Kuon-Hienſem verberibus xl., Min-Hienſem xxx., damnavit. Sed neque periculi magnitudine ſunt chriſtiani ab inſtituto deterriti, quominus adire ad ſacerdotes, conſolarique pergerent. Qua in re Dominici Joſephi Yeni Siamenſis Alumni ſingulare officium fuit, qui, ut Fo-cheum venit, continuo, neque cuſtodes, neque periculum veritus, una cum Ly-Michaele incredibili ſtudio ſacerdotes inviſum contendit: quumque Alcoberum, & Diazium vidiſſet, ductus deſiderio reliquorum, ad prætorios item carceres adiit, ibique Tipaſitanum Epiſcopum vidit. Quod cum Mandarino præfecto carcerum nunciatum eſſet, exiſtere, qui in carceres ingreſſi eſſent, hominemque ejus cuſtodiæ commiſſum inviſerent; confeſtim, tribunali relicto, eis ſe obviam obtulit inique animatus, ac, niſi per Ly-Michaelis induſtriam, conſiliumque ſtetiſſet, vix ſe Dominicus malis, quæ impendebant, eripere potuiſſet.

Virgines Dominicanę quatuor, virique item quatuor Ting-tei cõprehendũtur, eaque de re Mandarinus Fo-ganẽſis ad Cung-Tu lit. teras mittit.

LXXXVII. Haud ita poſt per provinciam quoque cœpti chriſtiani ſunt exagitari. Hujus mali Ting-tei initium fuit, qui pagus millia paſſum ſexdecim Fo-gano abeſt. Nam cum præfectus ejus pagi, ſeu Pao-chian, ſic enim vocant, ingentem a chriſtianis pecuniam popoſciſſet, neque extorquere potuiſſet, nomina eorum ad Mandarinos pagi alterius Ung-Gan-tini

de

de chriſtianiſmo detulit. Hi ſe continuo Ting-teum conferunt, domumque virginum quatuor Dominicanarum adeunt; qua in domo etſi virum nullum invenerunt, tamen, quod aliqua deprehendiſſent indicia chriſtianæ religionis, feminas eaſdem comprehendunt, viroſque præterea quatuor, aliquem ibi in hoſpitio eſſe rati ex Europa ſacerdotem. De quibus Mandarinus Fo-ganenſis certior factus, continuo ad Chung-Tu epiſtolam Focheum miſit; quæ, Pauli Su teſtimonio, ſic habebat: „ Novilunii die VI. (prid. „ non. febr.) ego Mandarinus Fo-gani „ oppidi certiorem te facio, deprehendiſ„ ſe me, in domo una homines habitare, „ ſervantes ab initio virginitatem. Do„ mum ſcrutatus cum eſſem, libelli ap„ paruere, itemque alia, quæ ad per„ verſam, falſamque legem pertinerent, „ libri europæi, *Roſaria* quatuor, ima„ gines, pictæ tabulæ, vaſculum unum „ nicotianæ herbæ, aliæque nonnullæ res. „ *Tertiarias*, quas vocant, ſeu virgines „ comprehendi juſſi, Petronillam, Lu„ ciam, Eliſabethen, & Urſulam; item„ que Urſulæ fratrem Thomam, Luciæ „ fratris filium Andream, fratrem Eli„ ſabeth Joachimum, & Urſulæ fratris „ filium Pium, omnes numero ad octo. „ Pius egreſſus domo, nondum rediit: „ continuo tres reliquos conjeci in carce-

„ rem, atque in judicium vocavi; quo-
„ rum ad te confeſſiones in ſcripta relatas
„ mitto, mihique dum reſcribas, expe-
„ ctabo, quod juſſeris, facturus „.

Chung-Tu facto laudat, Mandarinoq; ut inquirere in chriſtianos pergat, jubet.

LXXXVIII. Chun-g Tu vehementer lætatus rem pro ſua voluntate a Mandarinis adeo diligenter geri, Foganenſi in hunc modum reſcripſit: „ Petronillas, „ & ceteræ imprudentes, indoctæque fe-
„ minæ, quoniam tanto ſtudio ſunt falſæ
„ legi addictæ, neque adhuc, quum
„ jam ſenuerint, nupſere; næ eæ per-
„ verſæ ſunt, & faſcinatæ. Tu libros
„ omnes, atque imagines, &, quæ ad eam-
„ dem pertinent religionem, reliqua
„ intercipito, fiſcoque tradito, mox ut
„ igni comburantur. Qui vero latent iſta
„ in domo adhuc feminæ quatuor? Ad-
„ ſunt Europæi ſceleſti, quorum noſtri
„ opera utuntur, quique clam homines
„ docent: hique occulte illorum ſectan-
„ tur legem. Abſit, ut doctrina, atque
„ inſtitutiones iſtorum ferendæ ſint. Hos
„ tu ad quæſitorem provinciæ dimittito,
„ qui conſilium totius rei capiat, &, quod
„ viſum fuerit, imperet, eorumque
„ cauſſas per ſummam ſeveritatem ex ve-
„ ritate cognoſcat, & judicet. Per ter-
„ ritorium præterea iſtuc tuum inquirere
„ ſecreto pergito; mihique, ſiquid depre-
„ henderis, renunciato, ut hanc poſſim
„ religionem radicitus aliquando evel-
„ lere.

„ lere. Libros, quæque intercepta sunt
„ reliqua, omnia huc ad quæsitorem
„ mittito, ut comburantur „.

Quæsitor, delegata sibi a Chung-Tu causa, virgines Fo-cheum duci imperat. Fo-ganensis Mandarinus edicta in christianos proponit.

LXXXIX. Quæsitor, quem Gan-Cha-Zu Sinenses appellant, delegata sibi causa christianorum, adhibitis ad consilium Mandarinis, virgines Fo-cheum duci jussit: nos tamen, postmodum quid de his virginibus factum sit, penitus latet; solumque de edicto, seu institutione quadam ab Johanne de S. Maria accepimus, quod edictum Fo-ganensis Mandarinus, ubi probari tantopere eidem Chung-Tu operam suam, diligentiamque intellexit, singulis in oppido domorum foribus affigendum curavit. Quod edictum cum & maxime ad rem pertineat, & aperte consilia Magistratuum Sinensium exprimat, gratam nos lectoribus rem facturos existimamus, ejus si exemplum descripserimus.

„ Qui superstitiosæ advenarum, seu Eu-
„ ropæorum doctrinæ fidem adjunxerunt,
„ hi quidem magno in errore versantur.
„ Eo errore se liberent, si pace, felici-
„ tateque potiri, ac frui velint. Nam
„ hi advenæ sceleribus, rebellioni, & li-
„ bidini dediti, obtentu legis Domini
„ cæli, pervertere ipsos conantur, etsi
„ eos christiani omnes diligunt, magno-
„ que in honore habent: puellæ au-
„ tem, atque *Tertiariæ* captivæ illorum
„ sunt factæ, & a matrimonio, quamdiu

„ vivant, abſtinere ſtatuerunt. Ipſi ve-
„ ro Europæi, quamvis appareant huma-
„ na facie, revera tamen belluæ ſunt,
„ nullo pudore, violantque bonas Im-
„ perii inſtitutiones. Ac dicite mihi; ſi
„ res ſunt chriſtianis ſecundæ, ſi magna
„ felicitas, quomodo capite plexus eſt Pe-
„ to-lus, quomodo alii pulſi in exilium,
„ conjecti in carceres alii? Cur vero?
„ Scilicet quod doctrinam ſunt amplexi
„ ſuperſtitioſam, quod conjicere ipſi ſe
„ in tantam calamitatem voluerunt;
„ ut jam illis exemplo ſint, qui eos imi-
„ tantur. Habent ipſi deſcripta nomina
„ chriſtianorum, quæ mittant in Euro-
„ pam. Quid autem id eſt, niſi velle
„ ſe contra Imperium erigere? Pœniteat
„ jam cunctos erroris, & fraudem agno-
„ ſcant; & boni impoſterum eſſe ne recu-
„ ſent, neque id agant, quod hæ *Ter-*
„ *tiariæ* Petronilla, Urſula, Lucia, at-
„ que Eliſabeth, quas nondum timor cœ-
„ pit, & ſervant adhuc libros, atque
„ imagines; orantque una ſimul eodem
„ in loco viri, & mulieres. Qui ſi una
„ cum ceteris ad ſuperſtitioſam doctrinam
„ reverterint, in carceres conjiciuntor,
„ ſeverumque de iis ſupplicium ſumitor.
„ Nunc, quoniam miſeret Mandarinos
„ univerſos ſuorum hominum, quos vident
„ deceptos ab advenis, in profundum frau-
„ dum puteum ſenſim incidere, hos com-
„ mo-

„ monemus; nam etsi profiteantur, christia-
„ ni qui sunt, se non posthac futuros; tamen
„ sciant nos illis fidem habere nullam „.
„ Mandarinis igitur singulis oppidorum,
„ & portuum, continenter ut inquirant,
„ jubeo, curentque, ut herbæ hæ pessimæ e-
„ vellantur, quarum nullus est fructus; ne-
„ que liceat his amplius eam sectari doctri-
„ nam, neu res religiosas habere, neu ad-
„ venas suis domibus occultare: eorum di-
„ vitias ne appetunto: libros, *coronasque*,
„ aliaque id genus cremanto: sacella deji-
„ ciuntor: *Tertiariæ* omnes continuo nu-
„ bento: hæc omnia verbis tantum non,
„ sed revera implentor: itaque cu-
„ rent, & diligenter curent, ne pœ-
„ niteat eos, capti quum fuerint. Quod
„ est edictum, sedulo animadvertunto „.
Dat. Fo-gani die XIII. primæ lunæ (III. idus februarias an. MDCCXLVIII.).

De Petronilla prima in Sinis virgine.

XC. Erat Petronilla, cujus per contumeliam meminerunt Chung-Tu, & Mandarinus, homines deorum superstitionibus dediti, virgo quædam annos nata LXX., imitatrix alterius Petronillæ, quæ & ipsa opera Dominicanorum Christi fidem secuta, prima feminarum in Sina virginitatem, cujus virtutis exemplum antea in iis regionibus nullum extitisset, Christo voverat. Hujus illa se ad exemplum componens, vitam ad hæc tempora singulari virtute, atque incredi-

bili

bili pietate traduxerat, dedita imprimis ſtudio legum chriſtianarum, in quibus multa cum laude jamdiu verſabatur: & quum maximo cum a chriſtianis, tum ab ethnicis in honore haberetur, uſa auctoritate, quam ſummam ſibi apud utroſque comparaverat, alteros de rebus adverſis continenter conſolabatur, alteros hortabatur, ut parentem ſuſpicerent Deum, cjuſque jam legibus obſequerentur. Quæ cum eſſet etiam virtute divinitus prædita ſanandi morbum infantium, quem illi *malum ventum* appellant(quod eſt morbi genus maxime periculoſum,ex quo,niſi adhibita celeriter fuerit medicina, ſunt pauci qui evadant) ſempiternam illis ſæpe ſalutem comparabat. Nam quum ethnici affectos eo morbo filiolos eo plerumque tempore ad illam deferrent, quo ſpes jam ſalutis nulla reliqua erat; ipſa continuo ad parentes converſa, monebat, puerum certiſſime moriturum, poſtulabatque, ut deſperata ſalute corporis, animo ſaltem infantis conſulerent, eumque initiari noſtris ſacris paterentur; quo eſſet futurum, ut ſolutus corpore animus ad Dei conſpectum evolaret. Ac parentes quidem plerique omnes rem feminæ permittebant: quod ſiqui recuſaſſent, tum illa, modo interiturum puerum certo proſpiceret, induſtrie, ingenioſeque, patre imprudente, baptizabat; qua in re

fem-

semper cautione usa est tanta, ut omnium, quot per annos tres, & quadraginta baptizavit, convaluerit nemo. Comprehensa est autem eadem in domo, in qua prior Petronilla erat mortua; captæque cum ea simul virgines reliquæ tres, quibuscum pietatis studio, & virginitatis professione conjuncta sanctissime vivebat.

XCI. Interea dum per Fo-ganensem agrum, circumjectamque regionem ethnicorum furor grassabatur, Johannes a S. Maria, qui hactenus, propterea quod quæri se ab ethnicis intellexisset, Chang-Chei se in occulto continuerat, contemnere jam pericula constituit, arreptoque itinere, prid. idus febr. Fo-cheum venit. Qui etsi, ut adire ad martyres designatos posset, diu multumque laboraret, nihilque prætermitteret, quod ad eam rem pertinere videretur; tot tamen, tantæque sunt difficultates oppositæ, ut conata perficere non potuerit. Immo vero ne licuit quidem viro in civitate consistere, quod perterritis metu christianis, cum ab ethnicis inquiri summa severitate viderent, rumoresque de eadem re undique assidui afferrentur, nemo fuit, qui occultare illum auderet. Itaque coactus est Hing-hoam discedere, quo loco christiani qui sunt, iidem a collegii Siamensis alumnis instituuntur. Verum, cum ibi quoque iniquum in locum res esset christiana deducta,

Johannes a S. Maria Focheum venit; mox excedere coactus, Hing-hoam petit, christianisque per vicos sacra aliquãdiu administrãs, tãdem fugere rursus compellitur.

ducta, neque maximis timoribus careret, inde etiam discessit, & Cang-Cheum revertit. Visum heic jam homini tantisper pacatum tempus, ejusque ut fructum caperet, continuo ad sacra christianis jamdiu sacerdote destitutis administranda contulit animum, multamque in his rebus operam consumsit, concurrentibus assidue magno numero qui *pœnitentiæ*, quique *baptismi* sacra flagitarent, ne facultatem suscipiendi oblatam dimitterent, cujus fructu aliquot jam annos caruissent. Neque tamen diuturnum id fuit solatium. Nam eo Mandarinus alter cum venisset, qui affligendorum, vexandorumque, si posset, christianorum sibi onus susceperat, jussit confestim incolis, ut in domos irruerent christianorum, inque Europæos, qui occultati per eos essent, diligentissime inquirerent. His rebus cognitis christianus quidam continuo VII. idus aprilis ad vicum Hau-pan celeriter contendit, ut Johanni nunciaret, qui eo in vico per per id tempus munere fungebatur suo: monet ut maturet fugam, proxima enim nocte, aut insequenti die apparitores venturos, Europæosque per domos inquisituros. Quod sane nuncium commodum venit. Nocte enim proxima satellites vicum ingressi, domum continuo petiverunt, qua in domo Johannes habitarat: adeo scilicet de eo diligenter cognoverant.

Quem

Quem etſi deprehendere non potuiſſent, non tamen conatu deſtiterunt, vicoſque proximos adire, ſcrutarique inſtituerunt; ut divinæ providentiæ conſilio, quæ illum aliis ſervaret rebus, factum exiſtimari debeat, ut ne ſatellites in proximum alium pagum venirent, quo ille profugerat.

XCII. Mandarini, qui religionis chriſtianæ doctores e Sina aliquando exterminare ſummis viribus nitebantur, non modo non intermiſerunt inquiſitiones, verum etiam, occaſionem nacti, auxerunt magno chriſtianorum periculo, magnaque acceſſione calamitatum. Fuit autem occaſio hæc. Antonius Huo-Guan-Kie, quem alii Hu-yuen-Ki nominant, qui a Chriſti religione deſciverat, cum interpretem ageret iis, qui navi Sancti Andreæ venerant, atque inter portus miniſtros frequentiſſime verſaretur, & nautis ejuſdem navis familiariter uteretur, ex his cognovit deferre eam navim commeatus Dominicanorum, ſubſidiaque importare, quæ unicuique illorum Rex Hiſpaniarum pro eximia ſua in religionem pietate in annos ſingulos mitteret, collectaſque Macai pecunias, quas chriſtiani ejus urbis, acceptis nunciis de morte Sanſii, deque ſacerdotibus reliquis carceribus detentis, dum ſupplicatio ob eam rem publice haberetur, contuliſſent, ſubſidioque afflictis chriſtianis

Ethnici cujuſdã opera, qui pridem a chriſtianiſmo deſciverat, Nien-Antonius, aliique chriſtiani cõprehendũtur: ſed ipſe etiã transfuga capitur.

Fo-

Fo-ganenſibus miſiſſent . Suſpicatus eſt etiam Johannem a S. Maria Manila veniſſe, & domi Nien-Antonii optimi chriſtiani latere ; itemque Antonii filium inſtituto Dominicanorum addictum verſari Manilæ intellexit, vocarique Petrum a S. Dominico. Præterea arca chriſtiani unius, cui erat Chay-Stephanus nomen, præterjus, fidemque aperta, ex qua omnem pecuniam ad argenteos nummos xl. furripuit, litteras invenit ab eodem Antonio aliquot ante annis ad eum datas, quarum hæc erat ſumma: filium ſuum Auguſtinum Fo-ganum eſſe profectum rogatum Dominicanorum aliquem, ut ad chriſtianorum ſolatium Chang-cheum ſe conferat : rogari item ab ſe præfectum provinciæ Philippinarum, aliquem ut eodem ſacerdotem mittat, qui rem chriſtianam adminiſtret. Hæc etſi ſatis erant ipſa ad commovendam iram, cupiditatemque concitandam Mandarinorum ; tamen ſceleſtiſſimus homo mendacium adjecit, Nien-Antonium pro cooptando filio in ordinem Dominicanorum quinque nummum argenteorum millia ſolviſſe. His ex criminationibus libellum compoſuit, & Mandarino Emuyenſi dedit. Is ad provinciæ Pro-Regem miſit, qui cupidus perficiendi, quod inſtituerat, ut ab omni provincia Chriſti cultum penitus exterminaret, Mandarinis Cang-Cheenſibus

sibus jussum misit, ut Nien-Antonium comprehenderent, & in carceres contruderent, fratremque ejus minorem natu Nien-Petrum, alios que adhuc quinque, quos inter eum ipsum, qui libellum confiasset, & Mandarino dedisset. Mandarini imperata faciunt, atque a. d. v. kal. junias singulos in carceres contrudunt.

Ambrosius ab Fo-cheesibus in Fo-ganenses carceres transducitur, virosque duos nostris sacris initiat.

XCIII. Hoc ferme tempore Ambrosius Hy-jinus, cujus de constantia, & fide sæpe est demonstratum, ab Fo-cheensibus carceribus ad Fo-ganenses transductus est. Factum id fuit non opera quidem ipsius, quasi solatium quæsisset, sed voluntate omnino Mandarinorum. Hi enim, quum prid. nonas majas eamdem judicii rationem instituissent, quam a. d. IV. kal. junias anni superioris MDCCXLVII. descripsimus, ita de Ambrosio decreverunt, uti nulla, seu capitalis sententiæ jam latæ, ejusque genis insculptæ, seu custodiendi rationis, facta immutatione, omnino locus carceris mutaretur. Erat hæc res Ambrosio nonnullæ levationi, quod reducto in patriam, tametsi catenis vincto, facilius subvenire cognati possent, ipsique potestas fiebat rem perficiendi, quam inchoarat, ut homines duos, quos cum instituendos christianismo suscepisset, mox conjectus in carcerem, prohibitusque docendo fuerat, imbueret jam penitus, nostrisque sacris initiaret. Quam-

quam

quam Fo-chei etiam, quum in Min-Hiensibus carceribus ſummis anguſtiis, ſummaque ſeveritate cuſtodiretur, annunciandæ chriſtianæ religionis finem fecit nullum, hominemque, cujus valetudo ſummo in diſcrimine verſabatur, ad eamdem religionem perduxit, ac baptizavit, cujus poſtea vivendi ratio, cum morbo evaſiſſet, digniſſima chriſtiano viro omnibus viſa eſt. Ac noſtri, quod mutatione carceris magna parte incommodorum levari Ambroſium intelligebant, ejus diſceſſu ſunt vehemenrer lætati; contra ipſe moleſte tulit, ut qui ſibi diſcedendum ab iis eſſe videret, quos ſemper parentum, & doctorum loco habuiſſet, vereturque, ut ſequi eos jam ad triumphum poſſet, quibuſcum una pugnam ſuſtinuiſſet.

Johannes a S. Maria iterum Chang-cheo diſcedit Fo-cheſi verſus. Ethnici Chang-cheenſium chriſtianorum domos ſcrutantur.

XCIV. Johannes a S. Maria, qui Chang-cheenſium, proximorumque chriſtianorum opera hactenus delituerat, jam admonitis ab iniquo Ha-Guan-Kie mandarinis, captiſque chriſtianis, ipſoque etiam accuſatore in carcerem conjecto, ut rem probaret, quam nunciaverat: quum intelligeret ſibi, ſuiſque hoſpitibus nullum poſthac locum tutum futurum, ductus etiam ſtudio ſubveniendi ſociis Dominicanis, quam ob rem in Sinam fuiſſet miſſus, rurſum rem tentandam exiſtimavit, nonisque junii Chang-cheo pro-

profectus, jam iterum Fo-cheum versus contendere instituit. Post ejus discessum diligentius mandarini inquirere Changchei cœperunt, habitaque de christianis, quos ceperant, quæstione; idibus juniis domum Antonii adierunt, relaturi in scripta, quæcumque in ea inveniissent; neque tamen invenire quidquam potuerunt, quod ad christianam religionem pertineret, propterea quod omnia inde commodum, prudenterque subducta fuerant. Hinc domum fratris illius Nien-Petri petunt: libros, & imagines nonnullas reperiunt, atque intercipiunt, deque omnibus ad Chang-Tu Fo-cheum scribunt.

XCV. Interea Johannes die VIII. kal. quinctiles Fo-cheum venit. Etsi iisdem fere difficultatibus afficiebatur, quibus superiori tempore, quemadmodum in civitate manere, & ad designatos martyres adire posset, propterea quod metu mandarinorum christianus nemo, ac ne ipse quidem Ly-Benedictus, cujus tanta erat pietas, & fortitudo, excipere illum hospitio, domique retinere audebat; non esse tamen animum despondendum putavit, neque conatu desistendum; ac, ne cui hospitii caussa calamitatem daret, templum deorum quoddam parvum conduxit, ibique clam habitare cœpit. Sed etsi omni cura, ac diligentia conabatur, neque studiose solum, sed etiam, quod

Johannes a S. Maria Fo-cheum venit, sed rursus discedere cogitur.

maxime res poſcebat, caute, tamen carcere detentos videre omnino non potuit; tanta enim ſeveritate cuſtodiebantur, ut ne ſcribendi quidem facultas illis relinqueretur, quin ſubeſſet periculum, ne epiſtolæ interciperentur. Verum paullo poſt, cum VII. kal. quinctiles, qui ex Kien-ningenſi tumultu ſupererant, affecti ſupplicio homines XLV., reliqui partim diverſis pœnis damnati, partim dimiſſi fuiſſent, cœpit paullatim remitti cuſtodia carcerum, ut jam mitti ad noſtros litteræ, ex eiſque recipi poſſent. Quod cum Johannes ab die IV kal. ſæpiſſime faceret, epiſtolis numquam nomen ſubſcripſit, veritus, ne, ſiqua forte fortuna in cuſtodum, exploratorumve manus littera incidiſſet, re patefacta, negotium impediretur, de quo tantopere laboraſſet. Neque licuit tamen Johanni diutius Fo-chei verſari. Nam cum ad præfectos provinciales nuncia Changcheo, atque indicia continenter mitterentur, majuſque in dies periculum fieret, diſcedere coactus eſt, talemque inire diſceſſus rationem, ut, declinato periculo, poſſet rurſus, ubi per tempus licuiſſet, facile in urbem reverti.

Sacerdotes in carceribus ſumma ſeveritate aſſervati magnis incommodis

XCVI. At ſacerdotum noſtrorum incommoda, etſi diuturna, ne minimum quidem remittebantur. Interdiu longioribus manicis vinciebantur, ita uti fieri pri-

primum cœperat; & noctu in cubiculum concludebantur perobscurum, constricti brevioribus manicis, pediciſque, ut toto prorsus corpore impedirentur. Ostia carcerum custodiebantur præcipua severitate, atque ita, ut non solum adire ad eos subsidii causſa citra summum periculum posſet nemo, sed ne epistolæ quidem deferri, nisi illorum, qui deferrent, calceis inclusæ, quod etiam ipsum metu non carebat, gravissimis constitutis pœnis, si quis detulisſet. Ipsi autem sacerdotes ne scriberent ad christianos, certioresque eos de se facerent, quæ res nonnullam ipsis molestiarum levationem attulisſet, cum multis aliis, tum his etiam duabus de causſis impediebantur, quarum erat altera nimia curiositas ethnicorum, quibuscum erant una in carceribus, quibusque præsentibus scribi oportebat; altera, quod, omni alia facultate sublata, scribere super suis ipsi genibus cogebantur, iisque continenti pedicarum dolore maxime infirmis, atque affectis. Quorum de malis, gravissimisque incommodis, ne longior evadat scriptio, illud breve, verissimumque dicere posſe videmur, eos, severitate ethnicorum omni prorsus subsidio intercluſos, tantum dumtaxat solatii aliquando cepisſe, quantum divina providentia curabatur, ut ne ante cederent ærumnis premuntur; eaque in victo, fortique animo perferunt.

illorum corpora, quam adeſſet divinitus conſtitutum tempus, quo ſe, vitamque ſuam Chriſto devoverent. Hac tanta acerbitate, aſſiduitateque malorum ſenſim concidebat hominum valetudo, cumque reparandi ratio nulla ſuppeteret, tandem eo ſunt redacti, ut in morbum omnes inciderent, ac Royus pene moreretur. Quæ res tot, tamque moleſtæ etſi ægritudinem corporibus illorum inferebant, de virtute tamen, & fortitudine animi nihil imminuebant. Nam quo tempore calamitatibus maxime premebantur, tanta erat, divina ope, eorum hilaritas, ut magnam moverent aſpicientibus admirationem: quodque intelligerent dignos habitos ſe, qui pro nomine Jeſu contumeliam paterentur, ſummo gaudio perfundebantur, adeo ut nihil fieri umquam voluerint, quod, aliorum ſuaſu, conſilioque, ad libertatem recuperandam conferre poſſe intelligebant. Neque vero aliud avebant, niſi ut darent pro Chriſto vitam, ſi ipſe id munus accipere dignaretur. Ex hoc autem ſtudio, quo præcipuo incendebantur, illa exiſtebant, quorum ſunt epiſtolæ illorum plenæ, avide expectare jam ſe gladium, qui capita ab corporibus præcideret; tum aſſidua illa anxitudo animorum, qua ex Matthia Fu, aliiſque, certum ne ſibi adhuc eſſet ſupplicium capitis, per-

cunta-

cuntabantur. Atque in Commentario, quem Serranus descripsit, multisque ejus litteris, quas habemus, nihil tam crebro occurrit, quam illud: offerre se Christo suum caput, libentique animo, ac summa cum lætitia inopem (nam ita ajebat) hanc ab se fieri oblationem. Nec minus studebant divinæ voluntati permittere penitus ipsi se; sibique diffidentes, in Dei unius auxilio spem suam omnem, & fortitudinem collocabant. Igitur neque egere aliquando quidquam, quod ad maturandum supplicium pertineret: & ubi, quod sæpius accidit, commutatam sibi perpetuo ab Sina exilio capitalem sententiam audissent, pacato, æquoque animo tale nuncium accipiebant; ut quamquam displiceret eis coronam sibi quasi eripi, quam paratam existimassent, submitterent tamen libenter se voluntati omnipotentis Dei, cujus id consilio esset factum; indignosque se existimarent, qui præclaram, & singularem martyrii gloriam consequerentur. Quamobrem cum ad christianos animorum sibi pietate conjunctos scriberent, illud assidue flagitabant, sibi ut divinam opem precibus implorarent, quæ spiritus sibi majores adderet & ad pugnandum, & ad vincendum. Ac Tipasitanus quidem Episcopus epistolam, quam prid. non. octobres anno MDCCXLVII. ad Magistrum Ordi-

nis dedit, his verbis claudebat: „ Omni „ animi ſenſu, multiſque cum lacrimis, „ quas nunc effundo, Te, mihi ut bene „ preceris, rogo; quo & exitum ex hoc „ mundo felicem impetrare, & divinas „ laudes in gloria canere ſempiternas „ poſſim. „

His ex virtutibus inſignis ea animorum æquabilitas oriebatur, quam tantam ſunt conſequuti, ut quibus rebus frangi, deſpondereque animum ceteri homines ſoleant, iis ipſi ne perturbarentur quidem. Cujus rei illuſtre fuit exemplum, quod cum turpiſſimis calumniis fama illorum, & dignitas majorem in modum vexaretur, ita eas audierunt, legeruntque, ut triſtitiam tamen animis nullam caperent; & quamquam ſcirent, eſſe, qui fidem calumniæ haberent; tamen ne commoti quidem, æquo animo id ſolum reſponderent, quod innocentia, quodque veritas ipſa rei poſtulabat, ſervata integerrime caritate. Neque minori flagrabant ſtudio procurandæ ſalutis hominum ſempiternæ. Atque cum ob eam rem in tot calamitates incidiſſent, tum ejus præclarum fuit ſpecimen, quod confirmandis, juvandiſque chriſtianis, qui pulſi in exilium, inductique eoſdem in carceres fuerant, præbuerunt. Quod ſi ſtudio noſtrorum, quibus moram vincula non injiciebant, majori numero non

ſunt

ſunt adducti homines ad Chriſti fidem, aut in ea confirmati, factum id eſt ea de cauſſa, quemadmodum Serranus prid. idus quinctiles ejuſdem anni, datis ad Miraltam virum graviſſimum litteris, ſcribebat, quod nemini aditus ad eos permittebatur, quodque ethnici, qui erant iiſdem in carceribus incluſi, ſuis ipſi ſceleribus indignos reddebant ſe divina ope, quorum adeo erat in omni turpitudine effuſa libido, ut miraretur deſignatus martyr, non ignem pluere, qui, uti factum olim Sodomis fuerat, & carceres ipſos, & qui in carceribus erant, incenderet.

XCVII. Sed Deus O. M., qui, quos elegit, eorum virtutem ærumnis, moleſtiiſque perſpectam aliis efficere ſolet, crebris incommodis fidem, conſtantiamque noſtrorum experiebatur. Itaque inter ceteras ineptias, quæ ad obſcurandam gloriam deſignatorum martyrum efferebantur, manarat in vulgus rumor, avaritia eorum, atque imprudentia eſſe factum, ut in Fo-Kiena provincia tempeſtas in chriſtianos concitaretur. Ferebatur autem mendacium compoſitum tali ratione: chriſtianum quemdam, antequam vita excederet, teſtamento Dominicanis præcipuam partem facultatum reliquiſſe; filio vero, quem haberet unicum, deteriorem. Hunc, mortuo patre, conſum-

Ethnici Sacerdotibus avaritiæ calumniam intentant, eaq; de re Maigrotus ad Serranum litteras mittit.

tis bonis, adiisse ad Dominicanos, ab hisque petiisse, portionem sibi ut darent hæreditatis, quam ante accepisset. Qui cum durius ab Dominicanis habitus esset, duriusque rejectus, ira incensum ab Christi fide desciviſſe, eosque accusasse. Qua de re etsi nostri continuo cum a benevolentibus plerisque, tum præsertim ab præstantissimo, & diligentissimo viro Matthia Fu certiores fuerant facti; tamen, quod apertissime falsa res, & ne veri quidem similis appareret, contemnendam putaverant, eamque nos omnino unica in epistola ab Royo ad Miraltam prid. non. novemb. MDCCXLVII. data, tamquam patens mendacium commemoratam offendimus. Verum cum ne tanta quidem incommodorum diuturnitate odium, quod concitatum in eos fuerat, mitigaretur, magis, magisque aucta ea invidia est eorumdem opera, qui primum conflaverant. Quamobrem Johannes Baptista Maigrotus Pro-Vicarius Apostolicus Yun-nanæ provinciæ, & Procurator Generalis Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum, & Missionariorum Gallicorum in Indiis, quod sibi certissime persuasisset mendacio hunc omnem rumorem contineri, cum conatus sæpe fuisset calumniam depellere, tandem ut ea jam apertius confutari posset, Tipasitano Episcopo renunciavit, ab eoque pe-

petiit, ut ſuo ipſe chirographo rem omnem deſcriberet, deſcriptamque ad ſe mitteret.

Maigroto Serranus reſcribit, calumniamque repellit.

XCVIII. Serranus hoc accepto nuncio, calumnia id genus accuſationis invaluiſſe, tam æquo, tranquilloque animo cognovit, quam idipſum primum efferri in vulgus acceperat. Neque eo ſecius, ut Maigroto ſatisfaceret, cujus in ſe, ſuoſque ſocios tantum eſſe ſtudium perſpiciebat, epiſtolam ad eum miſit jurejurando firmatam, quæ ſic habebat: *Teſtificor coram Deo, & Chriſto Jeſu Domino noſtro, quod omnia ſupradicta nobis impoſita, ſunt falſa, falſiſſima, ficta, & chimerica: teſtis eſt mihi Deus, quod non mentior: ſic me Deus adjuvet. Amen. In teſtimonium veritatis propria manu ſubſcripſi in hoc carcere Gubernatoris civitatis Fo-chei metropolis provinciæ Fo-Kien Imperii Sinarum, die 9. julii anni Domini* ℭMDCCXLVIII. - *Fr. Franciſcus Serrano Ordinis Prædicat. elect. Epiſcop. Tipaſitanus, & Vicarius Apoſt. Prov. Fo-Kien.*

Chung-Tu de Nien-Antonii filio Dominicano quærere inſtituit. Nien-Petri ſupellex Focheum defertur.

XCIX. Interea dum vexata fortitudo noſtrorum in dies augebatur, obfirmabatur adverſum pervicacia, & crudelitas inimicorum. Chung-Tu, cum nuncium Chang-cheo accepiſſet de Nien-Antonio in carcerem conjecto, deque inventis

tis domi fratris ejus Nien-Petri rebus ad chriſtianam religionem pertinentibus, continuo certiorem Imperatorem fecerat, ab eoque quæſiverat, quid facto eſſet opus, ſi quæ alia poſt deprehendiſſet. Huic Imperator mandavit, ut quæreret quam diligentiſſime poſſet, inveſtigaretque, haberet ne Nien-Antonius Manilæ filium, qui Dominicanorum inſtitutum profiteretur. Quo accepto mandato, homo, qui ſua ipſe ſponte ad profligandam religionem chriſtianam ferebatur omni cogitatione, multo adhuc diligentius providere, ut rem cognoſceret, in quam inquirere jubebatur, cœpit. Die XII. kal. ſextiles, icones, libri, ſupellex, quæ inventa apud Nien-Petrum fuerant, Focheum venerunt, ab Mandarinis Chang-cheenſibus miſſa, qui nihil ſibi reliqui fecerunt, quin Pro-Regis voluntati penitus obſequerentur.

Chin-Vl-Yuenus filios ad ſuſcipiendam chriſtianam religionem inducit, magniſq; virtutibus auctus noſtris ſacris una cum filia initiatur.

C. Quo tempore Cathecumenus Chin-Vl-Yuenus inſigne beneficium, quod ei jamdiu divinitus parabatur, eſt conſequutus. Jam inde ex eo tempore, quo ſanguinem Venerabilis Mauricaſtrenſis Epiſcopi tractaverat, atque evaneſcere cœperant tenebræ ſuperſtitionis, quibus miſere involutus erat, auxiliis divinæ gratiæ obſequens non obſcura ſuæ propenſionis in lumen chriſtianæ religionis, quo

quo circumfundebatur, indicia dederat. Nam poſt præſtita martyri ſingulari pietate officia paucis diebus, immutato animo, cultuque, quem antea diis maximum adhibuerat, in odium converſo, imagines deorum fregit, & in fruſta contritas in ignem conjecit, ſuos ita alloquens: *Nolo jam ego ſequi diabolicam hanc ſectam: ſanctam conſtitui conſectari, ac divinam legem: vobis eadem hæc eſt ſuſcipienda, ſi evadere ſupplicia, ſi cælum conſequi avetis.* Cujus exemplo incitati filii, ſuſcepto conſilio, & ab Sacerdotibus quibuſdam inſtituti, Deum cognoſcere, divinamque doctrinam tanto ſtudio, atque cupiditate excipere cœperunt, ut magna omnium admiratione uberrimi confeſtim ejus fructus exiſterent. Namque continenter errores deteſtari, quibus ante fuiſſent addicti, & Deo aſſidue gratias agere, quod merito, rogatuque Venerabilis Epiſcopi Sanſii (nam ita exiſtimabant, ſane pie) ex nocte ſuperſtitionis ſe ad mirabile lumen, quo illum cognoſcerent, traduxiſſet. At Cathecumenus doſtrinæ ſtudio tantas virtutes adjiciebat, ut plane appareret, cujus eſſet generis ſpiritus, quo ciebatur. Itaque cum Matthia Fu, & Paulo Su, quemadmodum ſupra demonſtravimus, efferendo primum ex agro reorum hominum cadaveri Epiſcopi, tum, cremato corpore, col-

colligendis ossibus, cineribusque multam, diligentemque suam operam præstitit: & Paulum Su Fo-cheo profectum allatum reliquias martyris ad urbem Macaum, ipse Chang-cheum usque fideliter est comitatus; ac denique factus ex Catechumeno propagator christianæ religionis, socrum, omnemque familiam ad eamdem suscipiendam induxit. His, quæ erant palam, multa accedebant, quæ secum ipse præclare, sancteque faciebat. Quotidie surgens diluculo, *Rosarium* recitabat; cumque eum dæmon, aliquando objectis menti imaginibus impudicis, quandoque incitans ad blasphemias, amovere a precibus niteretur; ipse conatus ejus semper elusit; utque majori rerum divinarum amore seipsum incenderet, notas suis volis inscripsit, quæ notæ Sinice Dei nomen referrent, easque, sæpe oculis admovens, crebris emissis suspiriis, explebat eam, qua erat maxima incensus, caritatem. Qui cum jam se ad recipienda nostra sacra comparasset, christianorumque esset doctrina egregie institutus, postquam inimicorum furore diu fuerat impeditus, tandem, divina ope, oblata occasio est, ut commodum mysteriis initiaretur. Nam Johannes a S. Maria, cum prid. nonas sextiles Fo-cheum veniset, hominem eadem die baptizavit, impositio Pauli nomine,

mine, quo nomine, etiam dum Catechumenus esset, vocari consuerat; simulque fratris illius filiam nomine Lau, quam Mariam appellavit. Qui duo, ut sunt baptismo consecrati, tanto perfusi sunt gaudio, tantaque pietate, & caritate incensi, ut mirarentur, qui aderant, Deoque gratias agerent maximas, quod Chin-Vi-Yuenum anno ætatis LVI., sua prorsus pietate, suoque admirabili consilio, ex dæmonis servitute in libertatem adseruisset.

Hostes christiani nominis maximis calamitatibus premuntur. Ethnici christianos aliquot comprehendunt; ac Ly-Benedictum, ejusque filios, & Mieu-Raymundum alapis, Ly-Michaëlem tormento excruciant.

CI. Eodem tempore, dum gratiam illis referebat Deus, qui de christianis meriti optime fuerant, illorum injurias ulciscebatur, qui eosdem insectabantur. Cheu-Hio-Kienus Pro-Rex, qui Pe-Kingum magna cum spe honoris, & dignitatis vocatus fuerat, quique tot cruciatibus, & calumniis nostros vexaverat; repente, immutata Imperatoris in eum voluntate, comprehensus, & vinctus jussu Pe-Kingensis Quæsitoris, cum mulctatus esset, desperatione ductus, actusque in rabiem suspendit ipse sese, ejusque exemplum omnis illius familia secuta est. Alius item præfectus nescio quis, qui temporibus christianorum afflictis præerat Fo-Kienæ provinciæ, cum Pe-Kingum se recepisset, ibique ab omni administratione reipublicæ amotus esset, in morbum implicitus sordidum, putrefacto col-

collo, acerbiſſimis doloribus cruciatus miſerrime obiit. Ipſum etiam Imperium iniquitatis, qua in noſtros homines utebatur, pœnas divinæ juſtitiæ dedit. Fame, ſiccitate, eluvione, rebellionibus, peſte conflictatæ plures Imperii provinciæ; ac brevi orbatus filio, quem unicum ex Imperatrice ſuſceperat, ipſe Imperator; eademque Imperatrix, in quam amore erat incredibili, vix Te-cheo reverſa, quæ urbs tridui iter Pe-Kingo abeſt, morte correpta. Quibus rebus, etſi divinitus eo ſpectaſſe non immerito plerique arbitrantur, ut de hoſtibus chriſtianorum ſupplicium ſumeretur, non ſunt tamen inimici chriſtiani nominis commoti, tantumque abfuit, quin ſævitia, & maleficio deſiſterent, ut potius, novis adjectis minis, pœniſque gravioribus conſtitutis, illud continenter laborarent, ut omni prorſus ſubſidio noſtri prohiberentur. Eorum autem iniquus animus, oblata occaſione, ineunte ſeptembri menſe eodem anno, conſpicuus fuit. Nam cum Fo-cheum chriſtianus quidam Loyuenſis ſe contuliſſet, neque adeundi ad deſignatos martyres, quam ſummopere optabat facultatem obtinere potuiſſet, propterea quod carceres diligentiſſime cuſtodiebantur; tum, ut ſuæ ipſe erga martyres pietati, quoad ejus fieri poterat, ſatisfaceret, pecuniam Ly-Benedi-

cto reliquit, qua in eorum victum, atque subsidium aliquid compararet. Ly-Benedictus, ut, tam difficillimis, atque impeditis rebus, & negotium perficeret, quod susceperat, & vitaret periculum, cum ipsis ministris carcerum egit, ab hisque, ut deferendam ad nostros pecuniam susciperent, impetravit. Accidit vero, ut, qui Royo portionem erat pecuniæ delaturus, sua ipse negligentia, ab exploratore deprehenderetur. Huic incommodo aliud eodem tempore accesserat, elato in vulgus rumore, filium Ly-Benedicti alterum, qui in Siamensi Collegio ageret, cum quinque *taelorum* nummum millibus in Sinam venisse. His rebus a Pro-Rege cognitis, continuo ejus mandato comprehensus est Ly-Benedictus, ceterique viri, qui cum eo una degebant, omnes; duæque præterea epistolæ in ea domo inventæ, altera ab filio altero Ly-Benedicti Siamo missa, altera, cui erat Sacerdotis cujusdam Sinensis subscriptum nomen. Quam ob rem incensus furore Pro-Rex, ut qui pessime in nostros animatus esset, Ly-Benedictum alapis viginti cædi jussit, totidemque ejus filium majorem natu, ac tertium triginta; tum Ly-Michaëlem conatus inducere, ut quam accepisset pecuniam, eam ab Europæo aliquo datam diceret, unde nova in nostros instrui calumnia posset, re-

nuen-

nuentem bis tormento ad talos, atque ad manus ſemel addixit; aliumque chriſtianum nomine Mieu-Raymundum, quod ab Sinenſi homine pecuniam datam perpetuo aſſeveraret, crebris colaphis afflixit.

Chung-Tu, & Pro-Rex Sacerdotes quatuor ſecreto in carceribus necari imperant.

CII. Significabatur autem his rebus, proxime futurum, ut ſupremam crudelitatem in deſignatos martyres hoſtis exereret, quæ tot malorum, tantarumque calamitatum finem faceret. Fuerat hoc item anno rurſus cognita illorum cauſſa, quod prid. non. majas contigiſſe putandum eſt; ſtatuerantque judices, ut extremo fere anno decretum de iis capitis ſupplicium ſumeretur. Qua de re cum Imperatorem conſuluiſſent, etſi is, ſervato Imperii inſtituto, in annum inſequentem ſupplicium differri juſſiſſet, tamen Chung-Tu, & Fo-Kienſis Pro-Rex, ſive quod cuſtodiendorum Europæorum cura levari tandem optarent ſe, in quos tantam eſſe perſpiciebant chriſtianorum voluntatem; ſive quod exterminari chriſtianam religionem, quod jam diu moliebantur, niſi ſublatis ejus magiſtris, poſſe diffiderent, maturandum ſtatuerunt, ut, qui illam profitebantur, præcipuo præſidio deſtituerentur. Ergo ubi primum de Imperatoris conſilio cognoverunt, continuo provinciæ quæſitorem, Fo-cheenſem prætorem, duoſque mandari-

darinos Heu-Kuonenſem, & Min-Hienſem evocant, conciliumque cogunt: his, quod ipſi ſtatuerant, proponunt, in carcere Europæos quatuor ſtrangulari oportere, crematiſque corporibus, ad Imperatorem ſcribi, morbo in carceribus homines deceſſiſſe. Facile mandarini conſentiunt, & conſilium probant. Itaque jubetur, ut, comparatis funibus, & feretris, ligniſque, ad diem v. kal. novemb. hora poſt meridiem ſexta lictores adſint, qui rem exequantur.

CIII. Ubi ea dies venit, octava a meridie hora lictores ingreſſi prætorios carceres, Serranum ex ampliori cubiculo, ubi erat, extrahunt, inque aliud contrudunt, in quo erat nemo. Ipſe continuo intelligens quo ea immutatio pertineret, vehementer lætatus, quod acceptum Deo videret eſſe ſacrificium vitæ ſuæ, quod ſæpe obtuliſſet; ut munus apoſtolicum, quod optatiſſimam ſibi coronam jam afferebat, perficeret, convertit ſe ad eos, qui aderant, eoſque hortari cœpit, ut chriſtianam religionem complecterentur: humique ab lictoribus proſtratus, hortari adhuc monereque pergebat. Tum vinctis pedibus, manibuſque, carnifices duo laqueum homini collo injiciunt, diſtrahunt hinc inde, exanimatumque relinquunt. Serranus occiditur:

Tum Alcoberus, & Diazius.

CIV. Horæ ſpatio interjecto, obtentu viſendorum carcerum, conferunt ſe ſatellites in quæſitorios, in quibus P. Johannes Alcoberus, qui Pro-Præfectum provinciæ Philippinarum in Sinis agebat, & P. Franciſcus Diazius detinebantur. Hi ex impetu, quo irruperunt ſatellites, animo illorum cognito, confirmati eo ſpiritu, qui tribuit martyribus fortitudinem, leniter eos ita ſunt allocuti: *Lætiſſimis nobis contingit mori: ſed prius ſinite nos Deo gratias agere, eamque adorare; tum de nobis licebit, quod vobis libuerit, facere.* Non potuerunt ſatellites, quin concederent poſtulata, brevique interpoſito ſpatio, Alcoberum humi proſternunt, ligatiſque manibus, ac pedibus, laqueo ita, uti Serrano fecerant, occidunt. Confeſtim Diazio eodem mortis genere vitam adimunt. Cujus labia non ſecus, quam Alcoberi, quamdiu vocis facultas fuit, nihil interciſerunt, quin adſtantes de ſuſcipienda Chriſti religione hortarentur, pro cujus veritate aſſerenda ipſi moriebantur. Hora a morte eorum elapſa, apparuere cadavera tanta oris pulchritudine, tamque compoſito ad ſuavitatem vultu, ut intuentibus magnam moverent admirationem, vivorumque hominum magis corpora eſſe viderentur, quam adeo violento mortis genere interfectorum.

CV.

CV. Eodem tempore Min-Hienſis carcer ſatellitibus completus eſt, ubi erat Royus, qui conſtantiam ſociorum imitatus, ubi primum mentem ſatellitum perſpexit, continuo hortari, ut Chriſtum ſequerentur, cœpit. Hunc alio ſupplicii genere interemerunt. Nam humi proſtrato, & vincto, oculos, os, nares, atque aures charta, quam *ſpiritu vini* imbuerant, obduxerunt, impoſitoque faciei ſacco calce pleno, præcluſo halitu, interfecerunt. Denique Royus.

Tali ratione ceteri poſt Sanſium Dominicani, tot, tamque acerbis cruciatibus, ærumniſque per menſes octo & viginti invicta fortitudine toleratis, in Chriſti confeſſione, conſummato martyrio, feliciter obierunt.

CVI. Neque contentus Pro-Rex, qui tantopere in martyres, atque in eam, quam vindicarant religionem, ſæviiſſet, in ipſa etiam cadavera ſævire conſtituit. Ea igitur, illius juſſu, obtecta, ne facies paterent, die IV. kalendas diluculo e carceribus per foramina (nam ſunt ad eum uſum in carceribus foramina) educta, feretris ſingula impoſita ſunt, ac denique ſatellitibus tradita, qui in conſtituta loca deferrent. Serrani Epiſcopi corpus ſatellites duo una cum Min-Hienſi Mandarino in agrum, de quo ſupra eſt demonſtratum, qua parte in occidentem

Martyrum corpora cremantur: oſſa, & cineres in foſſam projiciuntur.

ſolem ſpectat, intulerunt, ibique, clauſis januis, combuſſerunt, oſſaque, & cineres eamdem in foſſam, in quam fuerant Sanſii reliquiæ conjectæ, projecerunt. Corpora item Alcoberi, Diazii, ac Royi pari ratione ab aliis ſatellitibus, quibuſcum erat Mandarinus Heu-Kuonenſis, ad orientalem ejuſdem agri partem allata, tribus diſtinctis locis cremata ſunt, & projecta in foſſam ejus agri communem oſſa, atque cineres. Itaque ethnici ii præfecti, quod diu fuerant moliti, ut Jeſu Chriſti miniſtros penitus perderent, compleverunt.

Johannes a S. Maria, ſociis ſibi adjūctis, Serrani oſſa, & cineres diligenter colligit.

CVII. Hæc quemadmodum fuiſſent geſta, ubi Johanni a S. Maria, & Matthiæ Fu primum nunciatum eſt, dolore incredibili ſunt affecti. *En*, ajebat Matthias, data ad amicum epiſtola, *orbatos noſtro Epiſcopo nos, noſtriſque patribus: evaſerunt ii quidem ex omnibus malis, miſeretque eos jam noſtrum, quos tenet procelloſum mare*. Accedebat etiam ea res ad ſummum dolorem, quod, quemadmodum obtineri poſſent reliquiæ martyrum, omnino non apparebat; intelligebantque uterque, quidquid in eam rem tentaviſſent, id ſi ab ethnicis cognoſceretur (quod, rebus adeo impeditis, facile fieri poterat) futurum majori malo. Qua cum diu ſolicitudine tenerentur, neque ratio perficiendi eſſet ulla, die XI. kal. decembres

Johan-

Johannes, qui non esse animum desponendum arbitrabatur, & spem in Deo maximam collocaverat, quem sciebat suorum res summa voluntate curare, christianos quosdam admonuit, ut assiduis precibus jejunio adjecto a Deo peterent, ut, implorante B. Maria Virgine, significaret, quid jam facto esset opus, ut ne remanerent in potestate ethnicorum reliquiæ martyrum, quos ipse ad gloriam sempiternam evocasset. Quorum adeo valuerunt preces, ut brevi a Deo, quod rogarant, impetrarent. Nam custos occidentalis agri Chin-Paulo-Ul-Yueno, cui agendi cum eo datum ab Joanne negotium fuerat, pecunia illectus, promisit facultatem daturum se extrahendorum ab ea fossa Episcopi Serrani ossium: itaque venirent ad diem VII. kal.: curaturum se, ut hora sexta a meridie, agri, fossæque ostia paterent. Igitur proxima spe ejus rei, quam rem difficillimam existimasset, summopere lætatus Johannes, erectusque animo, sociis adscitis Paulo-Ul-Yueno, ejusque majori natu filio, & Yuen-Simone, ad diem hora constituta, in agrum occidentalem contendit. Eo ut venit, fossam ita, uti cum custode convenerat, apertam reperit, atque in ea ossa Serrani, quæ tametsi igni cremata fuissent, adhuc tamen humore quopiam madebant, erantque insignia præ ceteris membris cervix, cerebrum, &

particula, quæ esse cordis videbatur, quod aduc ea stillaret sanguinem. His colligendis Johannes, sociique amplius horam morati sunt, maxima usi diligentia, ne quod os colligerent, quod minime ad corpus Episcopi pertineret: neque tamen difficile factu fuit certo discernere, quod & recentia erant ossa, neque ullius post Serrani eo fuerant conjecta. Re diligenter, cauteque administrata, pii christiani domum reverterunt onusti sacris pignoribus: tum noctis majorem partem secernendis ossibus, & cineribus, quæ in distincta vasa immitterent, consumserunt. Denique die III. kal., quod maxime cauto esse opus videbant, domi Yuen-Simonis ea vasa terræ infoderunt.

Item martyrum reliquorum.

CVIII. Serrani reliquiis receptis, maximo desiderio tenebatur adhuc Johannes recuperandi pignora trium martyrum reliquorum. Verum videbatur res imprimis difficilis propterea quod putabantur illorum ossa immixta ossibus impiorum hominum fuisse, quæ in fossa orientalis agri erant magno numero; simul etiam quod præerant ei loco nonnulli Bonzii. Tamen Deus, qui defunctorum etiam corporibus prospicit, res ita disposuit, ut die VII. idus decembres, Paulus-Yuenus homo diligentissimus in lictorem incideret illum ipsum, qui tria cadavera martyrum cremaverat, Kin-lo-Ny nomine; ex quo

cum

cum de ossibus Europæorum quæreret, qua ratione immissa fuissent in fossam, hæc reperit.

Quidquid actum est in eo loco, ajebat Kin-lo-Ny, per me scilicet, & custodem Sy-Tay actum est. Ad diem IV. kal. novembres hora post mediam noctem quarta, custodi, cui est Kun-Siano nomen, ut orientalem fossam mundaret, jussi; & cogeret in unum locum Sinensium maleficorum ossa, ut Europæorum tribus distinctis in locis ponerentur, quo, si redimere christiani voluissent, lucrum ex iis facere possemus; nam si reliquis immiscuissemus, qui vellet redimere, futurum neminem. Præscripsi etiam, ut ipse in fossa maneret, dum eadem ego illi ossa tradidissem. Hæc ita uti fuerant a me instituta, facile fuit perficere, propterea quod, cum fossa male oleret, ab ea Mandarinus abstinuit, licuitque custodi omnia facere, quæ imperaveram. Ubi cremata fuerunt feretra, collegi ego ossa primum *magni corporis* (nam ita Alcoberum, quod maxime erat corpulentus, vocabant): tum custodi tradidi, qui admonitus a me cujus essent, media in fossa collocavit: post ejus, qui fuerat in Min-Hiensi carcere (Royi); hæc custodi præcepi, ut dextrorsus poneret: ac illius denique, qui socius *magni corporis* fuerat (erat is Diazius) eaque sunt, meo jussu, posita sinistrot-

ſtrorſus . His addebat lictor , habuiſſe ſe in animo multis ante diebus de tota re certiores chriſtianos quoſdam facere ; neque tamen feciſſe , propterea quod neſciret , quemadmodum eſſent ii animis ad eam rem comparati . Erant vero hi chriſtiani , quorum domi latebat Johannes a S.Maria . Hæc ubi ex Paulo Johannes cognovit , non eſſe continuo his , quæ lictor narraſſet , fidem habendam exiſtimavit , certiuſque ea de re cognoſci oportere ſtatuit . Itaque eidem Paulo mandavit , ut eaſdem res ex cuſtode ipſo agri Chin-Kun-Siano diligenter percuntaretur . Quod cum Paulus feciſſet , eademque omnino ex cuſtode accepiſſet , quæ antea ex lictore audierat ; Johannes jam certa rei veritate cognita , ſummo gaudio , ſummaque fiducia animatus , die VI. idus decembres , una cum ſoçiis tribus , quibuſcum , quemadmodum ſupra diximus , ad agrum occidentalem profectus fuerat , domum cuſtodis adiit , ibique ſe ad octavam a meridie horam continuit . Quo tempore Johannes ipſe , chriſtianique , & lictor , ac cuſtos, fratreſque cuſtodis duo , domo egreſſi in orientalem agrum contendere inſtituerunt . Eſt proximum ei loco Bonziorum templum . Itaque , ne hi poſſent animadvertere , e via diverterunt , qua iri conſuerat , & in quam erat aſpectus ex portis templi ; perque collem ,

qui

qui ſurgit prope eundem agrum, perrexerunt. Eo cum occulti veniſſent, tum fidenter lumen accendunt, & ſcala demiſſa, in foſſam deſcendunt. Heic jam offa martyrum inveniunt, ſeorſim ab oſſibus ethnicorum, diſtinctis locis poſita, ita uti lictor, & cuſtos narraverant; cognitaſque reliquias corporum, quas quæſitum venerant, continuo ſingulos in ſacculos immittunt. Re perfecta, domum reverterunt, tanta uſi itineris facilitate, ut neque militum, neque exploratorum quemquam offenderint, qui in cuſtodiam civitatis ſolent noctu frequentes incedere. Domum reverſi offa a cineribus cum honore ſeparare, & ſeparata, in vaſa ſex cretacea colligere; quæ poſtea vaſa humi ſepelierunt eodem in loco, ubi reliquiæ fuerant Serrani infoſſæ, expectaturi dum Macaum, & Manilam commodum tranſferendi facultas fieret. His adminiſtratis rebus, cognitum eſt, Pro-Regem habuiſſe in animo impedire, ne colligendi copia chriſtianis relinqueretur. Nam ſcribæ ſuo mandaverat, ut extrahi offa Europæorum ex foſſa, inque mare projici curaret. Sed ſcriba, quum eodem in loco ſepulta Europæorum offa fuiſſe ſciret, in quo Sinenſium, confuſa eſſe utraque, atque una permixta, reſpondit, neque fieri omnino, quod Pro-Rex vellet, poſſe. Nimirum factum id eſt divino prorſus conſilio;

lio ; neque enim ferebat Deus deſtitui juſtis honoribus corpora ſuorum martyrum.

De chriſtianis exulibus in Tartariam miſſis.

CIX. His deſcriptis rebus, quæ ad fortunatam martyrum mortem pertinent, piumque chriſtianorum ſtudium, quo de acquirendis eorumdem reliquiis non minus diligenter, quam feliciter laborarunt: non ſunt jam ſilentio prætermittenda, quæ chriſtianos eos ſpectant, quos fuiſſe in exilium pulſos ſupra eſt demonſtratum: quoſque eorumdem martyrum, & filios, quod eorum opera veram religionem ſuſceperint, ſuſceptamque fortiſſime retinuerint, & ſocios dicere poſſumus, quoniam una cum illis & ipſi capti afflictique, quidvis perpeti, quam a chriſtianiſmo deſciſcere, maluerunt. Nam etſi pleraque mala ante magiſtrorum triumphum ſuſtinuerunt; nos tamen, cum, quo quidque tempore pertulerint, ignoremus, hunc maxime locum idoneum, exiſtimavimus, in quo omnia deſcriberemus; maxime vero, quod per id tempus, nimirum a. d. kal. Decembres ſcripta epiſtola eſt, qua omnino ex epiſtola de rebus illorum cognovimus.

Exules viri duo, feminæque ité duæ in itinere moriuntur. Joſephus ſuperſtes, ne Thaddæi filius in exilium du-

CX. Ergo Focheo profecti chriſtiani tres, Lucas, Thaddæus, Joſephus, priorumque duorum uxores Thecla, & Paula, & infans unus, quemadmodum ſupra dixeramus, per Xan-tungenſem, ſeu Chan-

Chan-tongenſem provinciam, ut erat iter Pe-Kingum verſus, tranſierunt: gravissimo autem per id tempus peſtilenti morbo incolæ conflictabantur, magnoque numero interibant. Hunc in morbum Lucas, Thaddæus, ambæque mulieres inciderunt. Quibus etſi Chin-Joſeph, prout erat medicinæ peritiſſimus, omni ſtudio, & diligentia præſto eſſet, nihilque prætermitteret pro ſua in eos ſingulari pietate, quod ad levandam, reſtituendamque valetudinem pertineret; vis tamen tanta fuit morbi, ut omnes conatus fefellerit, hominesque ad mortem omnes adegerit; qua morte (nam pie putandum eſt) beatiorem vitam ſint conſequuti, atque ab exilio in patriam, cujus ſolius ſingulari ſtudio tenebantur, demigrarint. Itaque ſua ipſi virtute animati, confirmatique Joſephi hortationibus, ſubjicientes ſe penitus divinæ voluntati, libentiſſime obierunt. Paula Thaddæi uxor, ubi tres ex ſociis mortuos vidit, quum intelligeret ſibi etiam prope inſtare ſupremum diem, filium annorum ſex, quem hactenus ſecum perpetuo duxerat, Joſepho tradidit, & majorem in modum commendavit. Is pueri curatione humaniſſime ſuſcepta, mortua Paula, Pe-Kingum ire contendit. Eo ubi venit, magnam retulit ex chriſtianorum pietate partem commodorum. Namque horum opera impetrata homi-

catur, impetrat; ipſe Pe-Kingi aliquãdiu moratus, mox in Tartariam proficiſcitur.

homini facultas eſt manendi in carceribus ſine vinculis, permiſſus chriſtianis ad eum aditus, inviſendi cauſſa; eidem co-pia facta adeundi cujuſdam viri Sinenſis domum, cibique apud eum capiundi; Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ ſacra (nam multo magis cum ipſe, tum chriſtiani reliqui de confirmando animo, quam de recreando corpore laborabant) adminiſtrata. Quo tempore miniſtro ſacrorum virtus Joſephi ſingularis magnam movit admirationem. Filius vero, quem Vuang-Thaddæus moriens reliquerat, parentibus in itinere orbatus, etſi multæ erant impetrandi difficultates, tamen impetratum eſt, ut ne in exilium duceretur. Itaque traditus eſt matris ſobrino cuidam, a quo in Fo-Kienam Provinciam reduceretur. Joſepho autem Pe-Kingenſes chriſtiani pecunia etiam ſubvenerunt; quos inter eximia fuit, & incredibilis chriſtiani cujuſdam pauperis munificentia, qui cum in eum, dum ad tribunal adduceretur, incidiſſet, chriſtianumque eſſe audiſſet, miſeratione in eum tanta eſt affectus, ut exiguas ſinicas monetas tres donaret, quas, quoniam mendicando victitabat, fortaſſe ſolas habebat. Denique Joſepho Pe-Kingo, ubi tanta chriſtianorum liberalitate, & beneficentia erat uſus, proficiſcendum fuit in Tartariam, quemadmodum conſtitutum de-

-inor

cre-

creto Imperatoris fuerat; ubi multa eum incommoda, ærumnæque manebant; quarum tamen metu ille ne commoveri quidem ſignificabat ſe, contemnereque, propterea quod exilio locus dictus ſibi eſſet Xan-hai-quan, quo in loco & conſuetudine chriſtianorum, nam ſunt ibi chriſtiani multi, & myſteriorum frequentia, miniſtro ſacrorum Sacerdote uno, qui crebro ſoleret ea loca inviſere, futuram ſibi utendi facultatem proſpiciebat.

Filii Chin. Pauli - Vi- Yueni baptiſmo conſecrantur.

CXI. Haud multo poſt martyrum mortem, quo antea Paulus Yuenus, qui res eorumdem martyrum tanta diligentia, fideque curaverat, divinitus auctus fuerat maximo beneficio, idem tota ejus domus accepit. Nam kal. decembribus filius illius natu major, cum annos ageret XXXI., cujus fideli opera in omni officio erga martyres pater perpetuo uſus fuerat; aliuſque annorum XXV., ab Johanne a S. Maria, ſumto alter Joſephi, alter Johannis nomine, noſtris myſteriis ſunt initiati. Sunt etiam initiati baptiſmo Chin-Anna annos nata XLVI, Xin-Maria an. XIX., & Chin-Petrus an. XXV. Is in oppido Fo-chinga erat natus; cumque interfuiſſet martyrio Venerabilis Mauricaſtrenſis Epiſcopi, mox domum reverſus ſimulacra deorum, quæ habebat, omnia confregerat. Tandem VII. kal. januar. conſecrati baptiſmo ſunt ab eodem Johanne Chin-

Chin-Vincentius Pauli filius natu minor annor. XX., Lau-Thomas an. XXVI. & infantula an. IV., quæ Chin-Irene appellata eſt. Tali ratione Deus O. M., quæ maxima ſua erga homines miſericordia per martyrium, collectaſque reliquias Venerabilis Epiſcopi Petri Martyris Sanſii inchoari voluerat, eadem Johannis a S. Maria opera perfici, complerique voluit.

Mandarini de Antonii filio, deque Johanne a S. Maria Dominicanis diligenter quærunt. Hujus hoſpes Julianus captus, atque in judicium adductus alápis cæditur.

CXII. Dum his rebus augebatur res chriſtiana, noſtriſque myſteriis ſingulari ſtudio plerique alii initiari ſe flagitabant; contra hoſtes chriſtiani nominis infenſiſſimi nihil prætermittebant, quin eam, ſi poſſent, funditus profligarent. Ergo delata fuerant Chang-cheum mandata Pro-Regis ad Mandarinos, ut, quod Imperator jufſerat, diligenter conquirerent, revera ne Dominicanorum inſtitutum Manilæ Nien-linus ſuſcepiſſet. Itaque Mandarini cum ſua ipſi ſponte, tum Pro-Regis juſſu ad exitium chriſtianorum animati, compluribus inſtitutis quæſtionibus, rem explorare cœperunt; neque id ſolum, quod fuerant juſſi, ſed etiam de Johanne a S. Maria ſtudioſe inveſtigare, num veniſſet in Sinam, ibique maneret. Quem cum apud chriſtianum quemdam Chin-Julianum, qui nuper Manila venerat, latere arbitrarentur, domum hujus aggrediuntur. Sed factum di-

divina providentia eſt, nihil ut rei in ea domo invenirent, ex quo ſeu de Johannis adventu, ſeu de ſuſcepto a Nienlino inſtituto, qui in Ordine Petrus appellabatur, cognoſcerent. Verum deprehenſa cruce una, quod ſatis erat apertum chriſtianiſmi indicium, comprehenſus Julianus eſt, raptuſque in tribunalia ad quæſtionem. Ibi cum juſſu judicum crebris alapis cæderetur, eo conſilio, ut ab eo, quæ vellent, extorquerent; tanta uſus eſt fortitudine, ut tormenta perferre maluerit, quam aut fallere mendacio judices, aut ſacerdotes prodere. Itaque interrogatus, ubinam eſſet Sacerdos, qui Manila diſceſſerat, ita reſpondit: ſcio equidem navi advectum ſacerdotem quemdam fuiſſe; at is in Sina non conſtitit, nam eadem navi revertit Manilam. Neque erat id falſum. Erat enim ſacerdos, quem Julianus ajebat, ille, qui in navi *Capellani*, ut vocant, munere fungebatur, iſque revera cum eadem navi reverterat. Tum de Nien-lino cum judices ex eo quærerent, novi ego, inquit, Manilæ Nien quemdam, qui textorem ſudariorum agit. Tali modo cum malum ingenium judicum Julianus ſua prudentia eluſiſſet, quod ita facto eſſe opus arbitrabatur; poſt, ubi res majores ſpiritus poſtulare viſa eſt, apertiſſimis eſt uſus reſponſionibus, rogatuſ-

gatuſque ſacras imagines conculcare, facturum ſe umquam, etiamſi foret ſervanda conſtantia vitæ impendio, fortiter, ſtrenueque negavit.

Ethnicus quidam ob eandem in quæſtionem vocatur, ſed ex eo Mandarini nihil extorquere poſſunt. Antonius Focheum in carceres miſſus ſæpe interrogatur; tum propinqui illius, ac deniq; filius comprehenduntur. Antonius invicta animi fortitudine in ſententia perſeverat. Ejus virtutes deſcribuntur.

CXIII. Mandarini, quum extorquere ab Juliano nihil potuiſſent, ethnicum hominem quæſtioni ſubjecerunt, cui erat nomen Puan-Peng-Kua, qui captus una cum Nien-Antonio fuerat, eoque nomine accuſatus, quod ſubſidia, quæ Sacerdotibus Manila miſſa fuiſſent, in Emuyenſi portu e navi extraxiſſet, recepiſſetque. Qui etſi ethnicus erat, tamen fide, & conſtantia Juliano non ceſſit, neque adduci umquam potuit, ut de duobus Dominicanis confiteretur. Quinimmo cum interrogaretur ab Mandarinis, ubinam loci ſacerdos ille ageret, qui navi S. Andreæ advectus fuiſſet, atque in Sina remanſiſſet; inſtituit magno animo, declinato mendacio, ſuſpicionem dimovere. Itaque quiſnam, ajebat, ſacerdos e navi ſe, quaſi volatu, potuit proripere, ſi Mandarinus Hay-Longenſis & nautas, & peregrinos, ubi primum e navi deſcenderunt, ſingulos recenſuit, idemque, cum iterum navim conſcenderent, reverſuros Manilam omnes numeravit? Nimirum reticebat, Johannem, antequam in portum Emuyenſem veniſſet navis, ab ea deſcendiſſe. Neque ſua ipſe diligentia, & fide contentus, qua-

per

per quæſtionem judices de ſacerdotibus celaviſſet, chriſtianum præterea neſcio quem hortari, monereque cœpit, forti ut animo eſſet, & conſtantiæ, quod ipſe modo dediſſet, exemplum imitaretur; neu metu tormentorum vinci ſe pateretur, malletque mori, quam novi Sacerdotis Dominicani adventum prodere. Atque ipſe quidem Puan-Peng-Kua, quam primum oſtendit in chriſtianam religionem, chriſtianoſque homines benevolentiam, eamdem poſtea neque vinculis perterrefactus, neque gravibus impendiis commotus, quæ per tribunalia facere cogebatur, perpetuo retinuit. Mandarini, etſi duobus hiſce quæſtionibus induci poſſe videbantur, ut inquiſitione deſiſterent; tamen ſecus accidit; nam Nien-Antonium Fo-cheum mittendum putarunt, ubi in carceres prætorios contruſus eſt, redintegratæque ſæpe quæſtiones, crebraque de eo judicia inſtituta. Die IV. kal. januar. initio quæſtionum facto, primum judices tentare chriſtianam hominis conſtantiam, peteretque, velletne jam dimittere chriſtianiſmum, ſacraſque imagines conculcare. Cum ille ſe omnino poſtulatis hujuſmodi ſatisfacturum negaſſet, tum judices interrogare, quot habeat filios, quamque teneant rationem vitæ. His Antonius percuntantibus ita reſpondit, ut neque

mendacium diceret, & institutum Nienlini filii constanter celaret. Igitur Pro-Rex, quod neque ex professionibus testium, neque ex confessione Antonii invenire poterat, quibus argumentis Huo-Guan-Kie accusatio confirmaretur, filium Nien-Antonii majorem Augustinum Chang-chei comprehendi, Fo-cheumque abduci jussit. Sed hunc cum Mandarini capere nequivissent, quod commodum inde se proripuerat, socerum ejus, patruosque duos, & Raymundum Chay-Cua quemdam christianum intercipiunt, omnesque vicenis in singula bidua verberibus condemnant. His rebus cognitis Augustinus, tot malis suos premi non tulit, propterea quod ipse abesset; Chang-cheumque revertit. Ibi confestim comprehensus, ac denique VI kal. martias anno MDCCXLIX. Fo-cheum ductus est. Est autem cognitum hactenus viri cujusdam, qui magistratu fungatur, domo eum pro carcere inclusum detineri, & quantum quidem conjici ex quæstionibus poterat, non futurum admodum grave malum, quod sibi metueret; omnem enim severitatem in Antonium reservari, de quo nondum essent absolutæ quæstiones. Neque vero aut recens Antonio est studium religionis, aut nova in perferendis tormentis animi fortitudo. Nam ejus domus sedes, hospitiumque sacerdotum chri-

christianorum perpetuo fuit : ipseque propagandæ religioni diligenter serviens, effecit sua opera, ut ad Christi fidem homines plerique adulti converterentur, infantesque plures quam mille, sæpe occasionem nactus, quod medicus erat, quos certo noviſſet proxime morituros, suis ipse manibus baptizavit. Anno MDCCXXV. accusatus, quod Johannem a Cruce Dominicanum, qui per id tempus in Sina versabatur, hospitio excepiſſet, ejusque studeret partibus, captus Chang-chei fuerat XI. kal. novemb. ductusque Fo-cheum una cum eodem sacerdote, ut a provinciæ Pro-Rege, causa cognita, pœna decerneretur. Quo tempore ab uxore, a filiis, a matre, quæ gravi erat ætate, ita discesſit, ut neque horum lacrimæ, neque malorum metus, quæ impendere jam iis perspiciebat, animi ejus virtutem imminuerint. Quinimmo ex maximis calamitatibus majores sibi spiritus sumens, ab Francisco Saënzio Dominicano, quocum una in carcere detinebatur, ut se in tertium Ordinem Prædicatorum cooptaret, flagitavit, summaque suæ virtutis admiratione in ipso Saënzio commota, impetravit. Pertulit item invicta patientia triginta verbera, quibus, vestibus nudatus, acuta arundine cæsus est; inflictasque bubalinis coriis viginti alapas, & tor-

mentum ad talos ſexies, quo acerbiſſimo quæſtionis genere adigere hominem nitebantur, ut, ſpe quæſtus Europæos ſacerdotes venire in Sinam, fateretur. Denique in Tartariam perpetuo exulatum miſſus, quod exilium plerique morte ipſa gravius exiſtimant, ne commoveri quidem eſt viſus. Poſt cum Imperium Sinarum is, qui nunc obtinet, Kien-Lung ſucceſſione adeptus eſſet, in patriam reditionis facultate impetrata, eamdem vitæ rationem, quam antea ſuſceperat, conſtanter retinuit, ut nihil omnino de priſtino ſtudio remitteret; neque perterritus tot, tantarumque pœnarum acerbitate, quibus, quod noſtros juviſſet, damnatus fuerat, filium ſuum ipſum Manilam miſit, noſtriſque tradidit in diſciplinam, ut liberalitate, & munificentia Catholici Regis altus, doctuſque, Dominicanorum poſtea inſtituto ſuſcepto, dederet ſe curandæ ſaluti hominum ſempiternæ. Atque hæc quidem cauſſa fuit, quamobrem ethnici ita, uti dictum eſt ſupra, rurſus affligendum, cruciandumque hominem arbitrarentur.

Ethnici Virgines Dominicanas cogũt nubere. Ex his una quidvis perpeti potius, quam in matrimoniũ ire, conſtituit.

CXIV. Jamvero Magiſtratus, quibus certum erat nihil prætermittere, quod ad exterminandam chriſtianam religionem conferret, ad feminas, quas tertium Prædicatorum Ordinem ſuſcepiſſe, & virginitatem Chriſto conſecraſſe ſuam dixe-

dixeramus, furorem convertendum putarunt, eaſque adigere ad connubia ethnicorum ſtatuerunt, parentibus, cognatiſque, ni dicto audientes fuiſſent, graviſſimis conſtitutis pœnis. Itaque, ut eſt ab Johanne a S. Maria nunciatum, decretum a Mandarinis eſt factum, quo magnis minis feminæ Dominicanæ omnes, quacumque ætate eſſent, ad eos conferre ſe jubebantur, nimirum eo conſilio, ut, dimiſſis quæ ætate eſſent graviori, juniores nubere cogerentur. Virgines his rebus cognitis, quæ juvenes erant, incenſæ omnes ſtudio ſervandæ virginitatis, continuo variis artibus uſæ, lineamenta, formamque mutare, ut ætate provectiore apparerent, conatæ ſunt. Id etſi nonnullis accidit, minus tamen aliis evenit, ex quibus quatuor coactæ ſunt nubere. Ac fuit harum Virginum una, quæ Agnes appellabatur, annumque agebat quintum ac trigeſimum, tanta fortitudine, ut, quamvis Mandarini juberent, & parentes cogerent, tamen quidvis perpeti ſatius duxerit, quam alteri ſe ſponſo tradere, quum Chriſto (nam ita ajebat) jamdiu nupſiſſet. Quam cum parentes invitam ethnico viro ſpopondiſſent, domumque illius vi induxiſſent, ipſe ethnicus renuentem, atque horrore quaſi extra ſe raptam, manibus, pedibuſque ligari fecit; eamque verbis, &

ſermone, quibus verbis integritatem animi præſeferebat, repugnantem, tamen vitiavit. Ipſa, ubi vinculis ſoluta eſt, quaſi inſana dolore, quem animo ex ea re maximum ceperat, ethnicum conviciis inſectata, linteiſque thalami, a quo tantopere abhorrebat, forcipe in fruſtra conciſis, quindecies e domo aufugit. Quo cum vi perpetuo reduceretur, tandem minatur ædes ſe igni incenſuram, magnamque daturam calamitatem. Quibus minis ethnicus perterrefactus, veritus, ne rem exequeretur, domo pro inſana ejecit. Itaque Agnes ad parentes revertit; ab hiſque ſæpe rejecta, quod jam ut alienam habebant, ſæpius rediens, atque ad paternas ædes perpetuo confugiens, vicit ſua conſtantia parentum ſeveritatem, obtinuitque, ut liceret jam ſibi apud eos liberæ manere. Qua re vehementer lætata, gratias cæleſti Sponſo, quas potuit, maximas egit, cui, ipſius ope, atque auxilio, ſervaſſe ſe animo integerrime fidem exiſtimabat.

Matthias Fu Siamenſis ſacetdos moritur.

CXV. Hoc eodem anno (nam ante ne hos eventus, de quibus proxime diximus, an poſt, incertum eſt) Fo-Kienſes chriſtiani ſummo præſidio, Johannes vero a S. Maria præcipuo adjumento, mortuo Matthia Fu, ſunt deſtituti. Quanta is fuerit in chriſtianos tot ærumnis, calamitatibuſque exagitatos caritate,

tate, quantoque imprimis erga martyres ſtudio, & pietate; qua fortitudine, qua opera, quibus laboribus propagare religionem contenderit, cum ex his, quæ ſæpius in hoc Commentario de eo demonſtravimus, tum ex litteris Sinenſium ſacerdotum omnium cognoſcitur, qui ejus laudandi, celebrandique finem nullum faciunt. Attulit hujus mors omnibus, ac Johanni imprimis ſummum dolorem; qui Macaum, datis prid. kal. junias litteris, id nuncium miſit. Deceſſit Fo-chei die v. kal. junias, magnis relictis, præclariſſimiſque ſanctitatis argumentis; eritque ejus *memoria* perpetuo *pretioſa* univerſo Ordini Prædicatorum; atque *in conſpectu Domini*, quemadmodum ſperare licet, *in æterna benedictione*.

Ethnici complures chriſtianæ religioni nomen dant: Chinpaulus Vlyuenus ſacerdotes ſtudioſe adjuvat.

CXVI. Interea dum tot anguſtiis premuntur in iis regionibus chriſtiani, omniſque conatu ethnici adducere in contemtum, & contumeliam, profligareque ſanctiſſimam Chriſti religionem contendunt; contra Dei O. M. providentia, & pietate crebro contingit, ut, aucto numero chriſtianorum, magnæ martyribus fiant, qui in ea re ſuam operam conſumſerunt, gloriæ acceſſiones. Nam carceris cuſtos, quo in carcere Serranus fuerat, totaque ejus familia, reuſque capitis quidam, qui in carcere una cum Royo manſerat, martyrum hortationibus in-

ducti, tandem, deorum ſuperſtitione relicta, Chriſto ſuam fidem obſtrinxerunt. Hæc nos ex Johannis a S. Maria litteris cognovimus, quas ad P. Guglielmium, Ordinis Clericorum Regularium Sacræ Congregationis de Propaganda Fide in urbe Macao Procuratorem dedit. Conſtantia item, & pietas celeberrimi viri Pauli Vi-Yueni, cujus ad ſanitatem, converſio ſanguini Mauricaſtrenſis Epiſcopi accepta referenda eſt, adeo inſignis eſt facta, ut laboribus non contentus, quibus, uti ſupra eſt demonſtratum, plurimis, aſſiduiſque functus eſt, jam Macaum etiam commeet (quemadmodum ex ejuſdem Guglielmii litteris ad diem prid. kal. januar. anno MDCCL. datis accepimus) ſubſidia inde ſacerdotum ſupportaturus, in tot ſe diſcrimina conjiciens, quot difficillimo muneri circumſtare neceſſe eſt, rebus adeo afflictis, atque impeditis.

Antonius Nienus in exilium pellitur.

CXVII. At Magiſtratus Sinenſes, oculos ſua ipſi voluntate avertentes ab radiis lucidiſſimis Evangelicæ veritatis, nil in chriſtianis, niſi improbitatem, & ſcelus, videre ſibi videntur. Quorum ſententia vir fortiſſimus Antonius Nienus, poſt diuturnas quæſtiones, & ſqualorem carceris, cruciatuſque innumerabiles, exilio damnatus, idibus novembr. ejuſdem anni in Tartariam profectus eſt.

At-

Atque hic quidem, hactenus quoad cognovimus, ſtatus eſt, in quem poſtrema acerbiſſima tempeſtate in Fo-Kiena provincia deducta res chriſtiana fuit: hæ anguſtiæ, in quas Sacerdos Dominicanus conjectus, quem unicum in Sinam, poſt contruſos in carcerem martyres, mittere provincia Philippinarum potuit. Neque vero, quod ei pericula metuamus, moleſte id ferimus: quin potius juſto perfundimur gaudio, opemque ei divinam imploramus, ut pro dignitate ſuo munere fungi poſſit. Denique Ordo Prædicatorum, animo demiſſo, atque humili, ſupplex Deum laudat Optimum, atque Maximum, eique gratias & agit, & habet maximas, quod immortali beneficio, brevi quatuor annorum ſpatio, ſeptem ex filiis ſuis martyrii gloria ornaverit, quorum in Tunquinenſi Regno duo, in Imperio Sinenſi quinque, vitam pro Chriſto, ſanguinemque profuderunt: eumque precatur, orat, atque implorat, reliquis ut filiis ſuis omnibus ſpiritus addat, ut imitati majorum fortitudinem, fratrumque exemplis præclariſſimis incitati, pari virtute, diligentia, & pietate inflammentur, ac pro inſtituti ſui gravitate in extremas quaſque, ac remotiſſimas orbis partes ſanctiſſimum Chriſti nomen, veramque religionem inferre curent.

PROTESTATIO.

DEcretis ſummorum Pontificum obtemperans, teſtatur qui brevem hunc commentarium deſcripſit, ubi quinque hos Dei ſervos vocabulo martyrum, aliiſque ejuſmodi nominibus appellavit, eo ſe conſilio appellaſſe, non ut Apoſtolicæ Sedis judicium anteverteret, ad quam ex integro res ipſa ſpectat, neque ut cultum illis quaſi martyribus, aut ſanctis conciliaret; verum ut recenſeret res præclare ab iis geſtas, ea ratione, qua privatis Scriptoribus licet; atque ita plane, ut eſt ab Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO XIV. explicatum in oratione, quam de eorum morte ad S. R. E. Cardinales in Conſiſtorio habuit, quam hic deſcribendam putavimus.

ALLO-

ALLOCUTIO

Sñi Dñi Nostri

BENEDICTI PP. XIV.

Habita in Consistorio secreto die 16.
Septembris 1748.

DE PRETIOSA MORTE

PETRI

MARTYRIS

Ex Ordine Prædicatorum, Episcopi Mauricastrensis, Vicarii Apostolici Provinciæ Fokiensis in Regno Sinensi.

VENERABILES FRATRES.



Onsentaneum magnopere arbitramur, si ex hoc loco Vobis exponamus ea, quibus Sancta Catholica religio magna cum laude prædicatur. Itaque notum facimus Vobis, accepisse ex litteris, quæ nuper ex Sinensi regno ad Nos pervenerunt, Episcopum Mau-

Mauricaſtrenſem Vicarium Apoſtolicum Provinciæ Fo-Kien, Petrum Martyrem nuncupatum, ex Ordine Prædicatorum, pro Fidei Chriſtianæ defenſione vitam amiſiſſe; qui propterea, ſi veteri Eccleſiæ vocabulo uti velimus, *Martyr conſummatus* appellari poteſt. Significatum eſt iiſdem litteris, alium ejuſdem Ordinis virum Religioſum, & ejuſdem Epiſcopi Coadjutorem deſignatum, una cum tribus aliis ex ipſa eadem Familia Sancti Dominici incluſum carceribus detineri, inuſtaſque fronti ſingulorum Sinenſes notas, quibus rei mortis indicantur: qui ſane omnes pro vetuſta Eccleſiæ loquendi ratione, *Martyres deſignati* vocari poſſunt.

Ubi epiſtolam in manus ſumpſi, eamque legi ſæpius, ac redundantem in ea gratiam ſpiritus perſpexi; mihi videbar priſcis temporibus verſari, cum florerent Eccleſiæ Dei. His verbis ſcripſit Sanctus Baſilius (*a*) ad Aſcolium Epiſcopum Theſſalonicenſem, qui Martyrium recenſuerat, quod plures Chriſtiani a Barbaris ultra Danubium degentibus conſtanti animo pertulerant: iiſdem Nos verbis utimur; & rei, quam expoſituri ſumus, libenter accommodamus. Porro res ita ſe habuit.

Cum graviſſima in Provincia Fo-Kien

(*a*) *Epiſt.* 154. *Edit. Pariſien.*

Kien contra christianos tempestas excitata fuisset, ob quam territi percussique plurimi a Catholica Fide misere descivérunt, Mauricastrensis Episcopus, qui Vicarii Apostolici munere illic fungebatur, latendum sibi censuit in privatis ædibus, & a violento illo turbine paulisper declinandum. Sed imminentem sibi ruinam pertimescente hospitii Domino, cum Episcopum diutius tueri latebris domus suæ recusaret, vix ipse in lucem prodiit, captus fuit, & in carcerem detrusus, ex quo tamen Christianam Fidem verbis, & exemplo, quoad potuit, prædicabat. Quinimmo ante Judicem constitutus, ipsi libera voce denunciavit, futurum aliud in fine Mundi judicium, ubi vitæ anteactæ rationes exigantur, & pro meritorum conditione præmia, vel supplicia decernantur æterna. Quamobrem conviciis & injuriis primum oneratus, deinde toto vultu ob iteratos colaphos contuso, ac liventi, tandem capitis reus iniqui Judicis sententia declaratur. Illam Episcopus æquo animo libenter excepit, & Sacramentis expiari magno studio postulavit. At, licet quidam Sacerdos, qui summa fide, & amore Episcopum suum prosequebatur, nihil intentatum reliquerit, ut Eucharistiæ Sacramentum ad ipsum deferret, vani tamen illius conatus irritique cesserunt. Postremo, cum dies illuxisset,

qua

qua capite plecti debebat Episcopus, carcere eductus, & magna satellitum turba stipatus, ad supplicii locum processit, quem Gentilium multitudo, & non exiguus Christianorum numerus sequebantur. Collo suspensam gerebat tabellam, cui mortis causa scripta erat, videlicet, quod manu carnificis caput illi obtruncandum esset, ut hujusmodi supplicio reliquis exemplo esset, eo quod suis mendaciis, uti ferebatur, plurimos decepisset. Incredibile est, quam eximiam virtutem, animique magnitudinem præseferret, cum ad mortem subeundam duceretur. Curis omnibus abjectis, assiduas in itinere preces Deo fundebat; & quo poterat maximo studio se ipsum commendabat. Cum perveniisset in locum supplicii, jussus a carnifice, ut in genua provolveretur, dicto paruit, & solum ab illo tantum temporis spatium exoravit, donec cœptas jam preces absolveret. Quibus peractis, carnificem ipsemet admonuit, ut rem suam perficeret, qui vibrato gladio caput ab humeris ipsi præcidit.

Gentiles ipsi virtutem tam singularem admirati sunt, cruentoque spectaculo se commotos ac perculsos magnopere ostenderunt; Christiani vero mortem Pastoris sui lacrimis ac mœrore prosecuti sunt; ita tamen ut animum non desponderint, sed corpus decenter efferentes,

eo

eo quidem loco prius condiderint, quo rei homines ſepeliri conſueverunt : ſed paulo poſt in Cœmeterium Fidelium idem corpus deferentes, ſuæque dignitatis inſignibus exornantes, decenti loco illud poſuerunt. Cum id fieret, Chriſtiani pietate ac religione ducti, particulas aliquas, præſertim veſtium, quæ ſanguine aſperſæ fuerant ſibi comparantes, in varias etiam partes miſerunt, eo fortaſſe conſilio, ac voluntate, ut publicæ veneration exponantur. Cum hujuſmodi Martyrii fama longe, lateque pervagaretur, Pechini Epiſcopus pro gratiarum actione canticum *Te Deum* univerſis ſuæ Ditionis Eccleſiis edixit. Eadem celebritas peracta fuit ab Epiſcopo Amacaumenſi, cui Epiſcopus Ecrinenſis Vicarius Apoſtolicus Provinciæ Yunnamenſis, Gubernator Luſitanus cum Senatu, & multa Regularium frequentia præſentes interfuerunt. Inſuper tota Civitas triduo ſub veſperam, funalibus accenſis, hilaritatem ſuam teſtata eſt.

Si hæc ita ſe habeant, quemadmodum litteris ſuis commendavit Sacerdos ſecularis, vir probus, atque honeſtus, qui non ſolum omnia, quæ ſuperius commemoravimus, accurate ac diligenter deſcripſit ; ſed plura ipſe oculis ſuis perſpexit, qui etiam, uti jam dictum eſt, captivum Epiſcopum, & morti proximum

Eucha-

Eucharistia recreare conatus est; si, inquam, res ita se habeant, prout novis, aliisque recenter acceptis monumentis confirmantur, Martyrium, & causa Martyrii, cum tempus postulaverit, facili negotio ostendentur. Nam facile constabit, Tyrannum adductum fuisse odio in Catholicam Religionem, ut Episcopum reum mortis pronunciaret: argumento est tabella, quæ pendebat ipsius collo, & mortis causam inscriptam præferebat; argumento est sententia mortis a Tyranno prolata, in qua Episcopus obtruncandus carnifici traditur, eoquod hominum multitudinem perversa religione seduxerit; argumento pariter erunt infelices illi, qui a Fide Catholica deficientes, ab omni discrimine immunes evaserunt. Postremo accedit, quod furente tempestate illa persecutionis, & alias quoque Provincias pervadente, nempe Xensensem, & Xansensem, quæ Portimensi Episcopo Vicario Apostolico subjiciuntur, illud compertum, & exploratum Nobis est, Sacras Christianorum Ædes in illis locis dirutas, & solo æquatas fuisse, ita ut ipse Episcopus, si fieri posset, Amacaum confugere cogitaverit.

Porro Episcopum pro Catholicæ Fidei amore subiisse mortem, & nihil omnino eorum ipsi defuisse, quæ ad id probandum requiruntur, apertissime quoque demon-

monſtrabitur. Quippe in ea tabula, quam paulo ante indicavimus, nomine *ſeductoris* appellatur, eo quod plurimorum tenebras Evangelii luce depulerit, eoſque ad Chriſtianam Fidem converterit. Siquidem amantiſſimum Redemptorem noſtrum *Seductoris* quoque nomine Judæi nuncuparunt, quod ipſe libenter tulit, ac permiſit, ut ſuo exemplo voluptatem, ac lætitiam perciperent famuli ſui, quos eodem titulo vocitandos proſpiciebat. Inſuper mortis ſententiam Epiſcopus libenter amplexus eſt; conatus omnes impendit, ut pie, ſancteque curſum ſuum conſummaret; imminentem jam corporis ſui diſſolutionem, uti Martyrem decebat, forti animo adſpexit, & uſque ad finem in hac virtute perſeveravit. Equidem initio furentis procellæ lucem publicam devitans, ſe latentem continuit; verum non timori, vel animi imbecillitati, ſed chriſtianæ prudentiæ illud eſt tribuendum. Nam, prætermiſſis exemplis, quæ plura a Scriptoribus Eccleſiaſticis recenſentur, Cleri Romani judicium huic rei maxime ſuffragatur; cum enim Sanctus Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus ad illum litteras dediſſet, quibus nunciabat ab Eccleſia ſua paulum ſe receſſiſſe dum tyrannorum perſecutio in Chriſtianos furentiſſime debaccharetur, Romanus Clerus magnopere probavit, quod ſe ab illo diſcrimine

proripuiſſet, ut inde majori cum utilitate animarum, quæ ipſius curæ traditæ fuerant, cum propitium tempus id poſtularet, ad Eccleſiam ſuam reverteretur.

Hæc quidem omnia Mauricaſtrenſem Epiſcopum, ejuſque pretioſam mortem ſummopere commendant, ſi, ut antea diximus, veritati conſentanea ſint, quæ ſcripta ad Nos pervenerunt. Attamen alia multa requiruntur, ut idem Epiſcopus inter eos Martyres adſcribatur, quos Eccleſia *Martyres vindicatos* appellare conſuevit. Quapropter ex iiſdem rei momentis, quæ accepimus, ea decernere, & perſcribere non omittemus, quæ neceſſaria ſunt, ut cauſa hujus Martyrii pro jure, & legibus Eccleſiæ inſtituatur; ita quidem ut locorum maximæ diſtantiæ ratio habeatur. Illud quoque in dubium revocari poſſe cognoſcimus, utrum Sinenſes Chriſtiani cultus privati limites prætergreſſi fuerint, defunctoque Epiſcopo ante Sedis Apoſtolicæ judicium cultum publicum exhibuerint. Quamobrem opportune conſulemus, uti fas eſt, ne ob hanc rationem, labente curſu temporis, ejuſdem Epiſcopi cauſa aliquid detrimenti patiatur. Porro ſignificationes hujuſmodi publici cultus, quem Fideles, licet immature, ipſi præſtiterunt, Nobis argumento ſunt, illos in ea ſententia firmiſſime verſari, quod Epiſcopus Martyris co-

ronam, & gloriam sit consecutus. Nemo vestrum miretur, si ipsum Martyrem nuncupavimus, neque ullo modo Canonicas Sanctiones a Nobis violatas existimet, quarum adsertores, & custodes Nos ipsos semper fatebimur: Episcopum quidem Martyrem, haud *vindicatum*, sed *consummatum* appellavimus, quod etiam rerum Scriptoribus licet, qui posteris illorum vitam, & res gestas commendant, quos pro Crhistiana Religione hoc mortali spiritu defunctos arbitrantur; modo tamen lectores admoneant, haud revera Martyres habendos, nec colendos ob ea solum, quæ ipsi suis in libris commemorant. Hæc fusius explicavimus in Nostris (*a*) de Canonizatione Sanctorum Commentariis, & Nos ipsi præscripta fecimus, dum Episcopum Mauricastrensem *Martyrem consummatum*, non autem *vindicatum* nominavimus, cum publicus cultus Martyribus tantum vindicatis debeatur.

Vulgata, & communis omnium opinio huic Mauricastrensi Episcopo primi Martyris Sinensis gloriam impertitur. Nos tamen certis documentis adducimur, ut contrarium omnino sentiamus. Etenim exploratum habemus, duas alias martyrii causas apud Sinenses peractas ad Congregationem de Propaganda Fide su-

(2) *lib. 2. cap. 12. num. 5.*

periori tempore fuiſſe delatas, quarum prima quatuor Presbyteros complectitur, qui pro Fide Chriſti ſupremum diem obierant; altera vero cauſa confecta eſt pro Sacerdote Franciſco de Capillas, qui Catholicam Religionem ſanguine ſuo confirmarat. Cauſæ vero hujuſmodi juſſu Urbani VIII. Prædeceſſoris Noſtri traditæ fuerunt examinandæ Congregationi Sacrorum Rituum, cujus etiam Decreta Nos ipſi perſpeximus, ad cauſam martyrii Franciſci de Capillas inſtituendam confecta. Alia quoque Decreta non ignoramus, quæ pro cauſa eadem proſequenda edita fuerunt, cum Clemens IX. Prædeceſſor Noſter Summum Pontificatum adminiſtraret. Hæc veritatis amore dicta ſint, non vero, ut nomen, & gloria Epiſcopi Mauricaſtrenſis, aut Ordinis Sancti (*a*) Dominici laudes imminuantur; cum præſertim Venerabilis Dei famulus Franciſcus de Capillas, & alii quatuor Sacerdotes, quos paulo ante recenſuimus, ex eadem Sancti Domi nici Familia prodierint.

Finem huic noſtræ Allocutioni imponimus, ſpem Noſtram declarantes, quæ repoſita eſt in ſinu Noſtro. Quemadmodum enim ſingulari virtuti, & ſangui-

ni

(a) *In Summ. Privilegior. Ord. Præd. Collecta ab Antonio Gonzales de Acuna pag.* 140. *& ſeq.*

ni Martyrum, quos modo recenſuimus, & aliorum fortaſſe, quos ignoramus, tribui poſſe videtur, quod ſuperiori tempore Chriſtiana Religio tantopere apud Sinenſes floruerit; ita ſperamus futurum, ut Sinenſis eadem Miſſio, præſenti hac tempeſtate compoſita, ac depulſa, in priſtinum gloriæ ſtatum reſtituatur, ob virtutem & ſanguinem, quem Epiſcopus Vicarius Apoſtolicus nuper effudit; cujus etiam exemplum, uti confidimus, quatuor alii Sacerdotes ex eodem Ordine, quos pro Chriſtiana Fide captivos Vobis antea memoravimus, pari animi magnitudine ſequentur. Ita ſane futurum ſperamus, ducti auctoritate, & unanimi Patrum Eccleſiæ ſententia, qui ſcriptum Nobis reliquerunt, tunc potiſſimum temporis Catholicam Religionem magis elevatam, & amplificatam fuiſſe, cum in illam Tyranni majori furore, immanitateque deſævirent, ita ut ex Martyrum ſanguine, veluti ex fœcundo ſemine, Chriſtiani in dies augerentur. Ita ſecundo ſæculo (*a*) Sanctus Juſtinus Martyr teſtatus eſt: *Sed quanto magis magiſque talia nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Jeſu Fideles, & pii fiunt; quemadmodum vitis, ſi quis partes illas amputet, quæ fructus ferunt, ita proficit, ut*

(a) *In Dialogo cum Tryphone Judæo num.* 100.

alios florentes, & fructiferos palmites rursus proferat, idem quoque nobis evenit: plantata enim a Deo, & Salvatore Christo vitis populus ejus est. Idem quoque Tertullianus initio tertii fæculi confirmavit (*a*) in suo Apologetico: *Plures efficimur quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum.* In libro autem ad Scapulam: *Nec tamen* (inquit) *deficiet hæc secta* (nempe Christiana Religio) *quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur.* Idem Lactantius fæculo tertio labente tradidit in libro suarum (*b*) Institutionum: *Est & alia causa, cur adversus nos persecutiones fieri sinat, ut Dei populus augeatur*: quod fusius prosequitur, certisque rationibus declarat. Plura alia in hanc sententiam testimonia proferri possent; sed illud Sancti Leonis Magni Prædecessoris Nostri, qui fæculo quinto Pontificatum gerebat, satis erit, ut res plane comprobetur: *Non minuitur* (inquit ipse in fermone de Sanctis Apostolis Petro, ac Paulo) *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.*

EPI-

(a) *Cap.* 1.
(b) *Lib.* 5. *cap.* 13. *in fin.*

EPISTOLA

Reverendiſſimi P. M. Generalis Ordinis Prædicatorum ad PP. & FF. ejuſdem Ordinis, qua eos allocutionis SS. Domini Noſtri BENEDICTI XIV. P. M. certiores facit.

In Dei Filio ſibi dilectis univerſis Patribus, ac Fratribus Ordinis Fratrum Prædicatorum

FR. ANTONINUS BREMOND

Sacræ Theologiæ Profeſſor, ejuſdemque Ordinis humilis Magiſter Generalis, & Servus;

Salutem, & Fidei propagandæ zelum.

QUi Dominicanæ Familiæ, immo Eccleſiæ univerſæ decora, & ornamenta ita ex animo pendit, ac reputat, quemadmodum decet optimæ Matris amantiſſimos Filios, is effuſo prorſus, ac intimo gratulationis ſenſu noviſſime partos intelliget

ab Apoſtolicis Viris Ordinis noſtri in extremis Orientis plagis pro Catholicæ Fidei propagatione triumphos. Alter jam annus abſolvitur, quo certis nunciis accepimus RR. PP. Fr. Franciſcum Gil de Federicis, & Fr. Matthæum Alphonſum Leziniana Hiſpanos ambos Provinciæ noſtræ Sanctiſſimi Roſarii Philippinarum alumnos in regno Tun-Kini poſt diuturni carceris preſſuras, conſtantemque ante Præſides, & in vinculis ipſis Evangelii prædicationem gladio percuſſos glorioſam pro Chriſto mortem obiiſſe (*a*). *Quos nimirum vinculum confeſſionis, & hoſpitium carceris ſimul junxerat, junxit etiam conſummatio virtutis, & gloria cæleſtis*. Eorum Paſſionis acta ab Epiſcopo Coricenſi litteris excepta, ac Romanis typis vulgata ad pleroſque veſtrum perveniſſe arbitramur.

Paullo poſt excitata in Provincia Fo-Kienſi Sinarum Imperii gravi admodum adverſus Catholicos, atque in primis Evangelii Præcones perſecutione prehenſum ab Infidelibus, atque in vincula conjectum audivimus Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum D. Fr. Petrum Martyrem Sans Epiſcopum Mauricaſtrenſem, ac Vicarium Apoſtolicum ejuſdem Provin-

(a) *S. Cyprianus Epiſtol. 8. ad Martyres, & Confeſſores.*

vinciæ, eodemque tempore una simul carceri mancipatos Illustrissimum, ac Reverendissimum D. Fr. Franciscum Serrano Episcopum Tipasitanum Provicarium Apostolicum, ac RR PP. Fr. Johannem de Alcober, Fr. Joachimum Royo, & Fr. Franciscum Diaz Missionarios Ordinis nostri, jamque latam in omnes capitis sententiam ab Sinarum Imperatore mox confirmandam. Recentioribus demum litteris nunciatum est, prælaudatum Illustrissimum Præsulem Fr. Petrum Martyrem Sans post toleratas invicta roboris Sacerdotalis constantia duræ custodiæ angustias, vexationesque gravissimas, illustre, & gratissimum Deo, & Angelis spectaculum exhibuisse, atque obtruncato capite Apostolatus sui cursum ad annos fere triginta sex in Imperio Sinensi productum feliciter consummasse, illustremque viam, atque expeditam Evangelii asserendi, ac propagandi ceteris ostendisse, quam ejusdem quoque Socios pari alacritate, & fortitudine, vel jam absolvisse, vel brevi subituros speramus. Eximium Religionis nostræ triumphum verbis amplioribus persequi, aut exornare vix possumus, iis vere aureis, vere Apostolicis, quibus SS. D. N. BENEDICTUS XIV. P. M. die XVI. hujus mensis Sacro Cardinalium Senatui secreto in Consistorio rei gestæ seriem

pro

pro ſua, ac loci dignitate nunciavit, atque Eminentiſſimorum Patrum oculis fere ſubjecit. Sapientiſſimam ejus Alloquutionem eximia qua pollet rei ſacræ, atque Eccleſiaſticæ eruditione refertam hiſce litteris adjunctam damus uti monumentum auro contra gemmiſque æſtimandum, Eccleſiæ Faſtis, atque Annalibus noſtris inſerendum, quod a ſingulis Cœnobiis noſtris diligenter ſervari volumus, poſteritatis memoriæ perpetuo commendandum.

Jam vero quo ſimus animo affecti in hoc fauſtiſſimo rei Catholicæ eventu, levius eſt vobis de ingenita nobis ſollicitudine pro Fidei incrementis, ac Familiæ noſtræ gloria recte æſtimantibus conjicere, quam nobis ulla vi verborum explicare. Effuſum eſt in jubilo cor noſtrum, ſuperabundavimus gaudio (a), lætati ſumus ſicut qui lætantur in meſſe; atque exultantes in Deum vivum, per quem abundat conſolatio noſtra, immolavimus ei Sacrificium laudis gratias agentes, ut potuimus maximas, quod Apoſtolicum S. P. DOMINICI ſpiritum adhuc ævo noſtro in Filiis ejus ſuperſtitem magno Fidei emolumento videamus. Nimirum quod morti proximus futura proſpiciens pollicitus fuerat, ſe nunquam

(a) *Iſaiæ c. 9. v. 31.*

quam illis defuturum poſt mortem, id cum ſemper effecerit, ſexto nunc Ordinis ſeculo cumulatius præſtat: nam qui animarum ſalutis cupidiſſimus, Martyrii quoque ſitientiſſimus fuit, horum alterum Apoſtolicis ſuis perfecit laboribus, alterum vero quod votis tantum aſſequi potuit, cum alias, tum noviſſime eſt conſecutus in Filiis, (*a*) *qui certamine glorioſo ad tormenta vincenda ceteris duces facti, exemplum virtutis, & Fidei præbuerunt*.

Eo exemplo incitatos, & quaſi claſſico ad pugnandum accitos, non ſine ingenti lætitiæ ſenſu audivimus, jam plures ex noſtris flagrantiſſimo Evangelii proferendi ſtudio accenſos certatim in ſacras Philippinarum Miſſiones nomen dediſſe numerum Fratrum ſuorum implere geſtientes, quos per Martyrii palmam Cælo illatos gratulantur. Utinam vero ſuſcepti muneris ratio, locique, & temporis conditio pateretur, ac ferret, ut eorum agmini adjuncti, quem aliquando inivimus in Americanis Inſulis ſacrarum miſſionum curſum, Nobis quoque cum ipſis conficere liceret. Arrepto Apoſtolicæ expeditionis vexillo, alacri prorſus animo, ac lubentiſſimo præiremus ceteris, atque ad populos divinæ lucis, & gratiæ exper-

tes

(a) S. *Cypr. loco cit.*

tes maturaremus iter, (a) parati ac cupidi tradere illis non ſolum Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras. Illuc demum proficiſceremur in gaudio, quo nos ſanguis Fratrum noſtrorum invitat clamans de terra, non vindictam ut ſanguis Abel, ſed propitiationem, ut ſanguis Chriſti, ac pereuntium animarum ſalutem. Quandoquidem vero (b) non eſt currentis, neque volentis, ſed miſerentis Dei, qui arcano ſapientiæ ſuæ judicio ab optatiſſimo Apoſtolici muneris ſtadio, velut ab ubere avulſos, ne cogitantes quidem Romam abduxit, atque in ſortem tranſtulit miniſterii hujus, vicem noſtram dolemus, iis vero quaſi invidentes gratulamur, quos Legatos pro Chriſto digniores, nobiſque utiliores ſegregavit, ac poſuit in lucem gentium, ut ſint ſalus ejus uſque ad extremum terræ.

Interea dum Pugiles noſtri (c) induti armaturam Dei, ſumentes ſcutum Fidei, & galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, calceati pedes in præparatione Evangelii, atque in acie conſtituti adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus Mundi Rectores tenebra-

(a) 1. *Theſſ.* c. 2. v. 8.
(b) *Rom.* 9. v. 16.
(c) *Epheſ.* c. 6. v. 18. 19. 20. & *ſeqq.*

nebrarum harum fortiter colluctantes prælìabuntur prælia Domini, nos ad sarcinas remanentes, per omnem orationem, & obsecrationem jugiter effundemus cor nostrum, ut detur illis sermo in aperitione oris cum fiducia notum facere mysterium Evangelii, ut in ipso audeant prout oporteat loqui, nec faciant animas suas pretiosiores, quam se. Quando autem (*a*) sanguis Martyrum semen est Christianorum, in eam spem erigimur fore, ut aucto per novos Evangelii Ministros recentis victoriæ, ac triumphi fructu, deleta, atque evulsa per ipsos omni profani cultus superstitione, Crucis Christi trophæum florentissimo inferatur Imperio, populoque sedenti in tenebris, & umbra mortis fulgeat illuminatio Evangelii, & salutis via aliquando aperiatur.

Finem scribendi, non exultandi facimus, & qui doctissimi, nec satis unquam laudati Pontificis BENEDICTI XIV. verba longe omnibus splendidiora legenda vobis subjicimus, qualemcumque Epistolam nostram disertissimi Episcopi, & Martyris Cypriani sententiis absolvimus. (*b*) *O beatam Ecclesiam* (beatam Prædicatorum Familiam) *quam sic honor*

Di-

(a) *Tert. in Apolog.*
(b) S. *Cypr. Epistola superius laudata.*

Divinæ dignationis illuminat, quam temporibus noſtris glorioſus Martyrum ſanguis illuſtrat. Erat ante in operibus Fratrum candida, nunc facta eſt Martyrum cruore purpurea: floribus ejus nec lilia, nec roſæ deſunt. Certent nunc ſinguli ad utriuſque honoris dignitatem. Accipiant coronas vel de opere candidas, vel de paſſione purpureas. In cæleſtibus caſtris & pax, & acies habent flores ſuos, quibus Miles Chriſti ob gloriam coronatur.

Habet itaque Fratres chariſſimi Chriſtiana, & Religioſa pax ſine cæde, & ſanguine Martyres ſuos, qui nimirum carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis; qui abnegantes ſemetipſos, & ſecularia deſideria ſobrie, juſte, ac pie vivunt in hoc ſeculo, utentes hoc mundo tanquam non utantur; qui mortificationem Jeſu in corpore ſuo circumferentes jam non ſibi vivunt, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. Diligamus Fratres, ſtrenueque amplectamur hoc quod ſemel elegimus quotidiani, ac domeſtici Martyrii genus horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius. Imitatores ſimus Fratrum noſtrorum, ſicut & illi Chriſti, & quos non poſſumus per bella perſecutionum, per vulnera, & mortem, ſtudeamus ſaltem per pacem ſequi. Per patientiam curramus ad poſi-

positum nobis certamen, professionis nostræ cursum alacriter consummantes, fidem servantes: (a) *Quo longior pugna, & corona sublimior: Agon unus, sed multiplici prœliorum numerositate congestus. Semel vincit, qui statim patitur, & qui manet semper in pœnis, congreditur cum dolore nec vincitur, quotidie coronatur.* Valete Nostri, Sociorumque memores in Sacrificiis, & precationibus vestris.

Datum Romæ ex nostris Ædibus Minervitanis die XX. Sept. MDCCXLVIII.

Fr. Antoninus Bremond

Magister Ordinis.

ALLO-

(a) S. *Cyprianus ep.* 16.

ALLOCUTIO
Sñi Dñi Noſtri
BENEDICTI PP. XIV.

Habita in Conſiſtorio ſecreto feria ſecunda die xxiv. Januarii 1752.

DE PRETIOSA MORTE
FRANCISCI SERRANI

Ex Ordine Prædicatorum, Epiſcopi Tipaſitani, Vicarii Apoſtolici Provinciæ Fokienſis in Regno Sinenſi, JOACHIM ROYO, JOANNIS ALCOBER, & FRANCISCI DIAZ *ejuſdem Ordinis Dominicani Sacerdotum.*

VENERABILES FRARTES:

TErtius jam annus eſt, ex quo Nos hoc ipſo in loco pretioſam mortem (a) Petri Martyris Dominicanæ Familiæ Mauricaſtrenſis Epiſcopi, & Apoſtolici Provinciæ Fokienſis in Imperio Sinarum Vicarii, Vobis

(a) *In Allocutione habita in Conſiſtorio ſecreto die* 16. *Sept.* 1748.

bis expoſuimus: quo quidem tempore certiores Vos etiam facere non prætermiſimus, quatuor alios Dominicanæ ejuſdem Familiæ Religioſos Viros eſſe, qui in carcere detinebantur, quique non longe ab eo erant, ut eamdem damnationis ſententiam ſubirent, & pro Chriſtiana Religione vitam amitterent. Ibi autem cum Nos antiquam Eccleſiaſticam loquendi rationem ſecuti (a) illos *Martyres deſignatos* nominaverimus, nunc mortis eorumdem, & feralis executionis atrocis ſententiæ nuncio accepto, *Martyres conſummatos* eoſdem appellandos judicamus, quo etiam nomine Mauricaſtrenſis Epiſcopus a Nobis fuerat appellatus: illud Succeſſoribus Noſtris integrum reſervantes, ut Martyres *vindicatos* illos pronuncient, poſtquam probationum examen inſtitutum, atque peractum fuerit, & quæ de illorum geſtis relata huc tranſmiſſa ſunt, a veridicis licet fontibus profecta, authenticis documentis fuerint comprobata; & poſtquam Dei Optimi Maximi benignitas ſignis ac miraculis manifeſtare dignata fuerit, quantopere horum Servorum ſuorum holocauſtum Divinæ Majeſtati Suæ fuerit acceptum: cum Sanctæ huic Apoſtolicæ Sedi hoc in more poſitum, & conſtanti lege

 ſir.

(a) *Ibidem*.

firmatum ſit (a) ut ad veri Martyrii approbationem minime procedat, niſi ſupernaturalia ſigna, atque prodigia pariter accefferint.

Horum, qui nuperrime pretioſam mortem obierunt, nomina ſunt, Franciſcus Serranus, Joachim Royo, Joannes Alcober, & Franciſcus Diaz. Etſi autem probe Nobis compertum illud eſt, (b) *Martyrem non facere pœnam, ſed cauſam*; minime tamen plura Nobis hoc loco perſequenda exiſtimamus, ut Vobis enarremus, illud ex iis, quæ huc ad nos pervenerunt, monumentis colligi, quatuor hoſce Sacerdotes necatos Tyranni juſſu fuiſſe, propter infenſum animum, quem ipſe contra Chriſtianam Fidem gerebat, in cujus prædicatione ipſi Sacerdotes aſſidua, atque indefeſſa cura ſe exercebant; atque ab ipſis, mortem Chriſtiana æquanimitate, ac fortitudine exceptam fuiſſe, ejuſdem Sanctæ Religionis cauſa, cujus aſſerendæ miro amore flagrabant; cum de hac re ab hinc ſupra triennium pluribus Nos egerimus, cum ex hoc ipſo loco Mauricaſtrenſis Epiſcopi mortem Vobis annunciavimus. Perſecutio enim, quæ contra pios hoſce Sacerdotes deſæviit, eadem ipſa

(a) *Lib. 3. noſtri Operis de Canonizatione cap. 27. num. 8. & cap. 29. a num. 6. ad ult.*

(b) S. *Auguſtinus epiſt. 204. num. 4.*

ipſa eſt, quæ in Fidei odium contra Mauricaſtrenſem Epiſcopum excitata fuit; & tam illius, quam horum cauſa communis eſt. Illud hic Nobis adjungendum eſt, Religioſos hoſce Viros non modo lubenti animo mortem ſubiiſſe, immaneſque cruciatus, qui a Tyranno ipſi morti additi ſunt, toleraſſe, verum & ante graviſſimis ærumnis, atrocibuſque contumeliis in ipſo carcere duorum fere annorum ſpatio conflictatos fuiſſe, ut ſatis appoſite de illis dici poſſit, quod (a) *in omnibus exhibuerunt ſemetipſos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis.*

Noſtræ huic Allocutioni finem hic ponere propoſitum Nobis fuerat. Verum, cum in percurrendis ſchedis per viros fide dignos Nobis traditis atque tranſmiſſis, inſigniora quædam ac præcipua deprehenderimus; minime grave Vobis eſſe cupimus, ſi in iiſdem exponendis paululum Vos etiam detineamus.

Pater Franciſcus Serranus ætatis annum agebat quinquageſimum ſecundum, annos autem novendecim in Sancta Sinenſi Miſſione impenderat. Pater Joachim Royo ætatis erat annorum ſex & quinqua-

(a) *Epiſt. 2. ad Corinthios cap. 6.*

ginta, quorum tres ſupra triginta Apoſtolicum munus in Sinenſi item Miſſione exercuerat. Pater Joannes Alcober annos habebat quadraginta duos, horum vero duodeviginti in obeunda Sancta eadem Miſſione exegerat. Pater Franciſcus Diaz tertium ſupra trigeſimum numerabat annum, ſpatio autem annorum novem Divini verbi Præco ibidem fuerat. De laboribus eorum, de ferventi aſſerendæ Chriſtianæ Religionis ſtudio, ipſarumque Miſſionum fructu, in Tabulariis Congregationis Propagandæ Fidei negociis præpoſitæ plurima extant monumenta, quorum opportuno tempore erit ut debita ratio habeatur: quoniam, licet pro Martyrio ſatis ſit mors in Chriſtianæ Fidei odium illata; eademque pro Chriſti ipſius amore ſancte obita ac tolerata, non inficiandum tamen eſt, diuturnam Chriſtianarum (a) virtutum ſeriem in anteacto vitæ curſu heroice exercitarum, ad veram Martyrii declarationem permultum conferre.

Neminem autem, niſi Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ admodum imperitum, ignorare arbitramur, Tyrannorum morem fuiſſe, ut enormis cujuſpiam delicti nota Martyres infamarent, ad odium contra ipſos con-

(a) *Lib. 1. cit. operis de Canonizat. cap. 27. num. 2. & cap. 29. num. 1. & 2.*

concitandum; ut ſcilicet illam, quæ inde redundabat, invidiam effugerent, quod propter ſolum Chriſtianæ Religionis exercitium, ac profeſſionem, eoſdem interficiendos mandarent. (a)

Idem etiam in quatuor horum Sacerdotum Martyrio eveniſſe comperimus; eo tamen diſcrimine, quod, cum alii Tyranni in eorum calumnia obſtinate uſque perſtiterint, eademque fulti mortis ſententiam pronunciaverint; hic contra Ethnici Judices, & idololatræ minime veriti ſunt Sacerdotes noſtros innocentes declarare, quoad ea pertinebat, quæ de enormibus vitiis falſo ipſis objecta fuerant: quibus rebus Tyrannus minime deterritus, & contra Chriſti Fidem infenſior effectus, laqueo eoſdem interimendos crudeliter mandavit.

Cum inter ſententiæ pronunciationem, ejuſdemque executionem, aliquod temporis ſpatium interceſſiſſet, ex quo Sinenſis Imperator illam ſuſpendi mandaverat; fama non inanis percrebuit, & quæ ad piorum uſque Sacerdotum, qui in vinculis detinebantur, aures pervenit, fore ut capitalis pœna in exilium a Regni finibus commutaretur. Magna autem in hoc nuncio vis inerat, ut de eorumdem animo,

(a) *Lib. 3. ejuſdem operis de Canoniz. cap. 13. num. 7. & ſeq. & num. 12.*

mo, ac propoſito vere dijudicari poſſet. Nam, ſi ipſi hujuſmodi nuncio lætati forent, id quodammodo minoris roboris, ac fortitudinis indicium eſſe potuiſſet, & cujuſdam affectionis, qua temporali vitæ adhærerent; quæ omnia heroicæ Martyris fortitudini oppoſita ſunt: contra vero, ſi contriſtati eſſent, ſuſpicio quædam exoriri inde poterat vanæ cujuſdam gloriæ, quam in morte fortiter oppetenda iidem ſibi propoſuiſſent; (a) qua vana profecto gloria Pſeudo-Martyrum hæreticorum mortes inquinatæ ſunt. Verum, eorumdem Acta deſcripta, atque huc tranſmiſſa, dum leguntur heroica in quatuor hiſce Religioſis Viris ad Divinam voluntatem confirmatio eluceſcit; paratus æque ac promptus, ſive ad exilium, ſive ad mortem, animus, prout Divinæ voluntati complacitum foret, cui vitam ſuam, mortemque pariter conſecraverant.

Poſtremo autem nemo Veſtrum procul dubio eſt, cui illa ignota ſint, quæ celebri Fiſcherio Roſenſi Epiſcopo acciderunt. Hic Henrici VIII. Angliæ Regis juſſu in anguſto carcere cum detineretur, quod legi illi adhærere recuſaſſet, qua Rex ſupremum ſe Anglicanæ Eccleſiæ caput conſtituerat, purpureus eidem Galerus (b) a Pontifice Paulo III. per idem tem-

(a) *Citato lib. 3. Canoniz. cap. 20. n. 12. & ſeq.*
(b) *Cit. lib. 3. de Canoniz. cap. 33. nu n. 8.*

tempus transmissus fuit. Nos Patrem Franciscum Serranum jam carcere in odium Christianæ Religionis conclusum, datis Apostolicis Litteris, Episcopum Tipasitanum constituimus, & Provinciæ Fokiensis Apostolicum Vicarium designavimus, addita declaratione Coadjutoris cum futura successione in locum Antistitis Mauricastrensis. Pontifici Paulo III. Rosensis vincula nota erant; ignotum vero Nobis erat, Serranum item vinctum teneri. Hoc dumtaxat discriminis inter unum atque alium intercedit. Cæterum utriusque idem finis fuit; cum quemadmodum Cardinalitia insignia nihil aliud Rosensi tribuerunt, nisi ut profundæ humilitatis actum exerceret, & præclarum testimonium acciperet, quanta virtutis illius ratio apud Pontificem esset; sic ex Nostris Apostolicis Litteris nihil aliud Serrano tributum est, nisi argumentum, quanti etiam Nos illum merito faceremus; quæ quidem Nostra de illo æstimatio præclaris humilitatis præcipuæ testimoniis aucta est, & obsequiosæ obedientiæ suæ, quam Nobis per idem tempus exhibuit. Et quemadmodum Cardinalitius Galerus a Paulo III. Rosensi transmissus, vitam illi incolumem minime præstitit, quam idem paulo post pro Sancta Religione libenter devovit; sic neque Episcopalis, ac Vicariatus Apostolici dignitas Serrano a

Nobis collata, glorioſæ eumdem Martyrii palmæ expertem fecit.

Hæc præcipua ſunt, Venerabiles Fratres, quæ de ſtrenuis hiſce quatuor Jeſu Chriſti Athletis Vobis exponenda eſſe cenſuimus. Cæterum eam nos quæſtionem in medio relinquendam exiſtimamus, uter duorum Ordinum, Dominicanus, an Franciſcanus, primus fuerit, qui Sanctas in Sinenſi Imperio Miſſiones perageret. Illud quidem certe affirmabimus, ad hæc uſque tempora decem ex Dominicana Familia Viros numerari, (a) qui in Sinenſi Miſſione mortem pro Chriſti Fide per inaudita tormenta oppetierunt; quorum quidem cauſæ in Sacrorum Rituum Congregatione aliæ jam introductæ, aliæ vero proximæ ſunt, ut introducantur. Quamobrem, Venerabiles Fratres, quoniam nemini Veſtrum ignotus eſt infelix ſtatus, quo propter atroces perſecutiones Sancta illa Miſſio in præſens redacta eſt, reſtat jam, ut ferventes pro illa conjunctis votis Divinæ Majeſtati preces porrigamus, magna ſpe freti, ut Eadem de excelſo gloriæ ſuæ Solio Nobis benigne annuat; quoniam Abrahamo interroganti: (b) *Quid ſi inventi ibi fuerint decem?* reſpondit: *non delebo propter decem.*

EPI-

(a) *Sex memorantur in citata noſtra allocutione habita die 6. ſept.* 1748. §. Vulgata, & communis *Quatuor alii ſunt qui in hac allocut. recenſentur.*

(b) *Geneſ. cap.* 18.

EPISTOLA

Reverendiſſimi P. M. Generalis Ordinis Prædicatorum ad PP. & FF. ejuſdem Ordinis, qua eos alloquutionis SS. Domini Noſtri BENEDICTI XIV. P. M. certiores facit.

In Dei Filio ſibi dilectis univerſis Patribus, ac Fratribus Ordinis Fratrum Prædicatorum

FR. ANTONINUS BREMOND

Sacræ Theologiæ Profeſſor, ejuſdemque Ordinis humilis Magiſter Generalis, & Servus

Salutem, & Fidei propagandæ zelum.

CUm eximio, atque immortali Dei Optimi Maximi beneficio contigiſſe arbitremur, ut regiminis noſtri primordia ab illuſtri, & glorioſa Fratrum noſtrorum pro Chriſti Fide confeſſione auſpicaremur, id unum ad fauſtiſſimi ominis, lætitiæque no-

noſtræ cumulum fore reliquum videbatur, ut ſanguine partam ab Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo D. Fr. Petro Martyre Sans Epiſcopo Mauricaſtrenſi, Eccleſiæ, ac Familiæ noſtræ gloriam ceteri ejuſdem Apoſtolatus Socii proprio implerent, atque amplificarent Martyrio, (a) *ut quos vinculum confeſſionis, & hoſpitium carceris ſimul junxerat, jungeret etiam conſummatio virtutis, & gloriæ cæleſtis.* Quo Apoſtolicæ charitatis æſtu, qua votorum conſtantia, qua exercitatione virtutum ad ſupremum agonem, beatæque mortis complexum Martyres jam deſignati ſeſe componerent, ex litteris Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi D. Fr. Franciſci Serrano Epiſcopi Tipaſitani, ac Provicarii Apoſtolici cumulate intelleximus. Ex ipſo carcere, quo cum aliis ad necem ſervabatur, Epiſcopi Mauricaſtrenſis paſſionem, & exitum ad Nos ſcripſit diligentiſſime, tum Apoſtolicis ſenſibus, quo mortem pro Chriſto obeundi cum ſociis flagrabat, deſiderium luculenter adeo expreſſit, ut in ejus verbis cor ipſum loqui videretur. Parati jam ſibi optatiſſimi Martyrii expectatione ſuſpenſus, & anxius propriis culpis, quæ ejus modeſtia fuit, injectam paſſionis moram, dilatamque ſibi, ut videbatur, nondum ſatis parato coronam de-

put

(a) *s. Cyp. lib. 2. Epiſt. 6.*

putabat, patienter interea expectans beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, quo ſe prorſus indignum prædicabat. Quæ dum obortis præ gaudio lacrymis legeremus, videbatur Nobis veterum Eccleſiæ Martyrum fidem, conſtantiam, flagrantiſſimam charitatem, beatæque immortalitatis firmiſſimam ſpem intueri, (a) *nec invenimus quid in eo prædicare plus deberemus gloriam vulnerum, an verecundiam morum, quod honore virtutis inſignis eſſet, an quod pudoris admiratione laudabilis, ita & dignitate excelſus erat, & humilitate ſublimis.*

Interea deſtinatorum cum ipſo Martyrum in tam illuſtri agone certantium diu, noctuque obverſabatur menti noſtræ imago, & præſentia, ac beatiſſimo eorum carcere, ſi non corpore & vinculis, animo certe, votiſque concluſi Deum jugiter precabamur, (*b*) *ut initiis ad ſumma pergentibus quos facerat confiteri, faceret coronari.* Favit meritis, & precibus ſuorum Militum, & Confeſſorum, favit expectationi noſtræ divina clementia, & præconceptam ex præclariſſimo Epiſcopi Mauricaſtrenſis triumpho exultationem ejuſdem Sociorum palmis cumulavit. Recentioribus quippe litte-

(a) S. *Cypr. lib.* 2. *Epiſt.* 55.
(b) S. *Cypr. lib.* 4. *Epiſt.* 1.

litteris, certisque nunciis accepimus, prælaudatum Illustrissimum, ac Reverendissimum D. Fr. Franciscum Serrano Episcopum Tipasitanum, RR. PP. FF. Johannem de Alcober, Joachimum Royo, & Franciscum Diaz Hispanos, Philippinarum Provinciæ Alumnos, post diuturni carceris pressuras, eo nobilius, quo longius, certamen passionis, vitæque cursum feliciter consummasse, ac plaudentibus Angelis ad amantissimi Fratris Episcopi Mauricastrensis complexum evolasse. Universam eorum Martyrii seriem neque aptius, neque luculentius exhiberi posse arbitramur, quam gravissimis, atque amplissimis verbis, quibus eam Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS Papa XIV. Eminentissimis Patribus in Consistorio secreto die 14. hujus mensis nunciavit. Sapientissimi Pontificis Orationem Apostolicæ ejus eloquentiæ, atque eruditioni incomparabili parem, inter ptetiosiora Familiæ nostræ monumenta perenniter adservanda oculis vestris subjicimus.

Jam vero intelligitis Fratres quas divinæ erga nos largitati gratias debeamus, quod ex Dominicanis alumnis hac etiam ætate suscitaverit, atque elegerit sibi (a) homines divites in virtute, dominantes

(a) *Eccl.* 44.

nantes in Poteſtatibus, nunciantes in Prophetis, fortes in bello, contemptores vitæ, mortis triumphatores, quos (a) ludibria, & verbera expertos, inſuper & vincula, & carceres (b), nec tribulatio, & anguſtia, nec fames, ac nuditas, nec perſecutio, nec gladius ſeparare potuerunt a charitate Dei, ſed in omnibus ſuperaverunt propter eum, qui dilexit nos. Eſt profecto, cur iis, cur nobis ipſis gratulemur, quod illorum nomina jam in cælis deſcripta novum, æternumque decus faſtis noſtris attulerint, ac nova adjecerint nobis incitamenta virtutis. Quis enim præclaris adeo non excitetur triumphis, & quaſi admotis ſtimulis ſeſe impellere non ſentiat ad eam ineundam Apoſtolicam viam, quam ſuo ſanguine impreſſam glorioſiſſimi Fratres ſignarunt? Nonne cor noſtrum, dum hæc audimus, ardet in nobis, ut fidei zelo ſuccenſi (c) eamus & nos, & moriamur cum illis? Hæc ſunt, dilectiſſimi, Apoſtolicorum hominum vota; hæc eorum merces magna nimis: hæc Inſtituti, quod profitemur, gloria, a Majoribus noſtris parta, ab æqualibus aucta, ac noviſſime ad emulandum nobis

(a) *Hæbr.* 11.
(b) *Rom.* 8.
(c) *Joann. cap.* 11.

bis propoſita. Ergo (*a*) non efficiamur ſegnes, ſed imitatores eorum, qui fide, & patientia hæreditaverunt promiſſiones. Ad propoſitum nobis certamen curramus (*b*) aſſumentes galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, ſuccincti lumbos in veritate, induti loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis.

Quod ſi fortiſſimos Chriſti Athletas per vincula, & mortem ſequi non poſſumus, eorum ſaltem ſectatores ſimus in fide, & charitate, in ſcientia, & longanimitate, (*c*) ſervantes in ſimplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modeſtiam in humilitate, in defendenda veritate conſtantiam, in diſciplina ſeveritatem, ne aliquid ad recte factorum exemplum deſit in nobis, ſed luceat lux noſtra coram hominibus, & glorificent Patrem noſtrum, qui in cælis eſt. Hæc ſunt enim veſtigia, quæ illi revertentes in patriam nobis reliquerunt, ut illorum ſemitis inhærentes ſequeremur & in gaudia. Ad ea nos amantiſſime invitant, ibi nos cupidiſſime expectant (*d*) jam de ſua immortalitate ſecuri, & adhuc

(a) *Hæbr.* 6.
(b) *Epheſ.* 6.
(c) *Ven. Beda Serm.* 11. *de* SS.
(d) S. *Cypr. de Mortalitate.*

huc de noſtra incolumitate ſolliciti. Ad eorum conſpectum, & complexum venire quanta & illis, & nobis in commune erit lætitia! (*a*) Remiſſas itaque manus, & ſoluta genua erigamus, tantæque expectatione mercedis forti animo ſimus, alacriter ſubeuntes (*b*) momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, quæ æternum gloriæ pondus operabitur in nobis. (*c*) *Si compatimur & conregnabimus: quod præmium non iis tantum paratum eſt, qui pro nomine Domini impiorum ſævitia ſunt perempti, quoniam univerſitas Deo ſervientium, ſicut in Chriſto eſt crucifixa, ita in Chriſto eſt coronanda.* Valete, noſtri, ſociorumque memores in ſacrificiis, & precationibus veſtris.

Romæ ex noſtris Ædibus Minervitanis die XXXI. Januarii MDCCLII.

Di-

(a) *Hebr. cap. 22.*
(b) *Cor. c. 4.*
(c) *S. Leo M. Serm. 67. cap. 5.*

Dilecto Filio Franciſco Serrano Religioſo Viro Ord. FF. Prædic. Profeſſori, Provinciæ SSmi Roſarii nuncupatæ Inſularum Philippinarum Procuratori.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

A, qua erga inclytum Prædicatorum Ordinem in Catholica Eccleſia commendatiſſimum affecti ſumus paternæ caritatis propenſione, excepimus epiſtolam tuam luculentis filialis erga Nos, & Apoſtolicam hanc Sedem obſervantiæ obedientiæque ſignificationibus, & gratiarum præſertim actionibus inſignem ex eo, quod Nos in Conſiſtoriis Noſtris ſecretis, quoad Nobis integrum fuit, meritis laudibus celebravimus glorioſam memoriam nonnullorum Venerabilium Fratrum Antiſtitum, ac dilectorum Filiorum ejuſdem Ordinis Provinciæ SSmi Roſarii nuncupatæ in Inſulis Philippinis in Catholicæ

Fi-

Fidei odium interfectorum. Quod autem per eamdem epistolam supplex a Nobis rogas & expoſcis, ut nimirum ad Dilectos Filios Priorem Provincialem, & ceteros Religioſos Viros laudatæ Provinciæ, & Ordinis litteras paternæ benignitatis, & gratulationis, & laudationis, & exhortationis teſtes, & incitamentum daremus, alacri libentique animo præſtamus per alias Noſtras in ſimili forma Brevis hac ipſa die datas, quas cum adjuncto earumdem exemplo conjunctas tibi reddendas curabit Dilectus Filius Antoninus Bremond celeberrimi Ordinis tui Frater, & Generalis Magiſter, qui omnium virtutum, doctrinarum, diſciplinarumque ſplendore conſpicuus non ſolum Pontificiam Noſtram, ſed cunctorum, etiam Ordinum hujus Almæ Urbis Noſtræ gratiam benevolentiamque ſibi conciliavit. Tuum igitur erit, Dilecte Fili, ut ipſas litteras Noſtras tuto quantocius ad ejuſdem Provinciæ Religioſos Viros perferri ſatagas, & adnitaris. Nos interim tibi Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II. Decembris MDCCLII. Pontificatus Noſtri anno decimotertio.

Cajetanus Amatus.

Dilectis Filiis Priori Provinciali, & ceteris Religiosis Viris Ordinis FF. Prædic. Professoribus Provinciæ Sanctissimi Rosarii nuncupatæ in Insulis Philippinis.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecti Filii salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Uibus potuimus Apostolicæ prædicationis præconiis in Consistorio Nostro secreto cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus bis habito prosecuti sumus debitas laudes, & res in perennem Catholicæ Fidei confessionem præclare gestas a Venerabilibus Fratribus Antistitibus, & Dilectis Filiis Religiosis Viris Apostolicis Missionariis istius Provinciæ vestræ inclyti Prædicatorum Ordinis Alumnis, qui in excolenda vinea Dei Sabbaoth, atque adducendis ad Jesu Christi ovile hominibus sedentibus in tenebris, & in umbra mortis ambulantibus

tibus adlaborantes majorem caritatem non habuerunt, quam ut ponerent animas ſuas, quemadmodum reipſa per diverſa tormentorum ab inimicis Crucis Chriſti illatorum genera glorioſam mortem oppetivere. Poſtquam vero inſignem invictiſſimorum Orthodoxæ Fidei Heroum, quorum nomina in benedictione ſunt, memoriam ad majorem militantis Eccleſiæ ædificationem, & decus commendare ſtuduimus, minime omittendum eſſe exiſtimavimus, nimirum, ut quæ in ſecretis Conſiſtoriis protuleramus chriſtianæ fortitudinis ad mortem uſque certantis encomia, typis etiam impreſſa publicique juris facta ad manus omnium Chriſtifidelium pervenirent, qui tam illuſtria exempla perlegentes, & invicem in Domino geſtientes, ad illa imitanda excitarentur. Interim ingenti cum paterni cordis lætitia effuſaque exultatione a Dilecto Filio Antonino Bremond laudati Ordinis veſtri Fratre, & Generali Magiſtro paternæ caritati Noſtræ propter religioſas virtutes examiamque doctrinam in primis grato, & accepto, deque familia ſibi commiſſa in omnibus, ac præſertim ob litterarios labores optime merito accepimus, quod ſane cariſſimus etiam in Chriſto Filius Noſter Ferdinandus Hiſpaniarum Rex Catholicus, in cujus ditionibus Provincia veſtra in

Insulis Philippinis sita reperitur, de assiduis Catholicæ Fidei incrementis, gravissimis incommodis, & angustiis, atque glorioſis per indefessos vestræ Provinciæ Missionarios reportatis triumphis plenissime edoctus vobis per regiam suam humanissimam epistolam significaverit perceptam ea propter voluptatem, ac meritas pro singulari zelo vestro egerit gratias. Etsi autem vestra vestrorumque Missionariorum rebus ipsis probata virtus satis declarat vos nec Apostolicis laudibus, nec novis stimulis indigere, quibus ad diviniſſimum opus, salutem scilicet animarum, alacrius constantiusque curandum, & urgendum magis magisque incitemini (probe enim scimus vos a supremo Pastorum Principe Jesu Christo, & laudationem, & coronam in cælis repositam præstolari) Nos tamen, qui illius in terris vices plane immerentes gerimus, facere non debemus, quin de commendatissimis facinoribus vobiscum præcipue ex animo gratulemur, & consentanea Apostolicæ Nostræ procurationis officia a vobis ab initio, ac novissime non levem apud veros Catholicæ Ecclesiæ filios christianæ sollicitudinis, zeli, constantiæque commendationem impense quidem efferimus verbis, sed magis apud Omnipotentem Deum precibus obsecrationibusque deferimus, ut qui dives est

in

in misericordia, & cujus laus est nova virtute, & gloria induere ex alto, ipse vobis gratificetur, ipse vos pro meritis collaudet, ipse confirmet, & cumulet cælesti benedictione. Deinde eadem, quæ Christifideles sub Tyrannorum persecutoribus gementes alacres infidelibus occinebant, vobis, Dilecti Filii, in memoriam revocamus: Hæc est victoria nostra, vincimus cum occidimur, evadimus cum obducimur, obtinemus cum expellimur, multiplicamur cum morimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. Plures efficimur, cum a vobis metimur. Sanguis martyrum est semen christianorum. Nec aliter quam sanguine fundatam esse Christi Ecclesiam confitemur, & sanguine crevisse scimus, & sanguine usque in finem seculorum florentem fore permansuram non dubitamus. Bono itaque animo, Dilecti Filii, vos esse jubemus, certate bonum certamen, nolite amittere confidentiam, & constantiam fidei nostræ, quam prædicandam suscepistis, laborate, sicut hactenus feciistis, usque ad vincula, carceres, & mortem ipsam; ad Christum ducem, & sibi Crucem bajulantem, atque e cælo spectantem, & suppetias ferentem respicite, qui justus Remunerator, & Judex jam pro laboribus præmia

diſpenſat. Confortamini invicem, & confirmamini; cum patientia præſtolantes ſalutare Dei, ut, cum apparuit Princeps Paſtorum, percipiatis immarceſcibilem gloriæ coronam. Nos interea, dum bonorum omnium largitorem Deum ſupplices poſcimus, ut vos uberrima cæleſtium chariſmatum copia adaugeat, & cumulet, Apoſtolicam Benedictionem propenſæ ſtudioſæque Noſtræ ad vobis opportune gratificandum voluntatis teſtem vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II. Decembris MDCCLII. Pontificatus Noſtri anno decimotertio.

Cajetanus Amatus.

DE PP.

FRANCISCO GILIO
DE FEDERICH

ET.

MATTHÆO ALONSO
LEZINIANA
ORD. PRÆDIC.

In Tunquino pro Religione Christiana
gladio percussis

COMMENTARIUS:

CONCLUSIONES
Ejusdio pertenentis
In Studio Pro Universitate Complutensi
QUAS PRAESIDE
FRANCISCO GIFFO
DE LEDESMA
PUBLICE TUEBITUR
IN AULIS MAIORIS
A. S.

DE
FRANCISCO GILIO
DE FEDERICH
ET
MATTHÆO ALONSO
LEZINIANA
MARTYRIBUS
COMMENTARIUS.

I. TUnquinum ab Sinis, quarum olim provincia fuisse fertur, ad Oceanum spectat inter septemtriones, & orientem solem; attingit a meridie Cochinchinam, contineturque ab occasu finibus Laorum, & Bramarum. Cum seculo superiore Episcopi, qui missi a Pon-

De Dominicanorum in Tunquinum adventu.

tifi-

tifice Maximo in id regnum, amplificandæ rei chriſtianæ cauſſa fuerant, inquirendo de inſtitutione vitæ, moribuſque Dominicanorum Philippinenſium didiciſſent, adductique in eam ſpem eſſent, ut, his ſociis, magnum ſe itinerum, laborumque fructum laturos arbitrarentur; anno MDCLXXIV. litteras ad Præfectum ejus provinciæ ſcripſerunt, quibus orabant, ut iis Prædicatoribus, quorum operam utiliorem proſpiceret futuram, facultatem in Tunquinum navigandi daret. His permoti litteris, etſi magiſtratus, qui rem in Philippinis inſulis publicam adminiſtrabant, committendum non putarent, ut quiſquam noſtrum in eas regiones proficiſceretur; nihilo ſecius Johannes Sanctacrucius, & Johannes Arjona, Præfecti voluntate, Manila, quæ urbs eſt princeps Philippinarum, diſcedunt, cumque forti animo itineris incommoda, injuriaſque ab Navarcho inlatas, qui eos durius habuerat, atque in vincula conjecerat, tuliſſent, an. MDCLXXVI. nonis quinctilibus portum capiunt. Inde progreſſi, in eam regni partem, quæ ipſis attributa fuerat, contendunt. Quo cum perveniſſent, annumque jam in docendis Tunquinenſibus conſumſiſſent, ob rem ſtrenue, præclareque geſtam, obtinuerunt, ut iis in locis, quæ opportuna ad continendos in fide chriſtianos eſſent, ſta-

biles

biles Prædicatoribus ſedes conſtituerentur. His de rebus fama ad Philippinenſes perlatata, P. Dionyſius Moraleſius, qui ſummo religionis ſtudio flagrabat, Præfecti provinciæ juſſu, Manila ſolvit, ac ſecunda uſus tempeſtate ad ſocios proficiſcitur. Eo cum veniſſet, quantoque uſui incolis ſua eſſet opera futura, cognoſſet, quidvis eſſe ſatius perpeti ſtatuit, quam ut ab ſe ullum tempus intermitti, quin eos ad chriſtiana ſacra alliceret, pateretur. Communi conſilio junctis opibus, ut alter alteri auxilio eſſe poſſet tam excellens fortiſſimorum hominum in adverſis rebus ſuſtinendis virtus, tantaque in iſtituendis Tunquinenſibus diligentia fuit, ut crebris ſignicationibus, quam gratus eorum labor divino numini eſſet, perſpicerent, continenterque in ſententia confirmarentur. Sed anno MDCLXXX. cum Arjona, & Moraleſius Hieni, qui portus eſt Tunquinenſium, agerent, ſubita in chriſtianos ab ethnicis commota tempeſtas fuit. Noſtri quamquam liberam ſibi e portu excedendi, periculique fugiendi poteſtatem eſſe vident, tamen hortantibus Epiſcopis, ut manerent, parendum exiſtimant. Qua re per indicem cognita, hoſtes repente in eos impetum faciunt, interceptiſque veſtibus, vaſiſque ſacris, quæ ad rem divinam faciundam ſpectarent, ambos comprehendunt, ac ver-

verberibus cæſos, poſtque in vincula conjectos, Batavis demum, inde ut abducant, tranſdunt. Batavi, quibus perpetuæ ſunt cum catholicis controverſiæ de religione, oppotunitatem ſæviendi in ſacerdotes orthodoxos ſecuti, utrumque navi imponunt, utque cœperant, tam longo itinere conviciis inſectari, quamque poſſunt acerbiſſime cruciare pergunt. Jam unus in Tunquino Sanctacrucius manſerat. Is, captis ſociis, etſi vix quidquam ab ſolo in regione præſertim, quæ tam late pateret, perfici, ſeque ab ethnicis quæri, remque eſſe in anguſto, vidit; tamen id ſibi magnopere contendendum judicavit, ut iis, qui ſibi mortalem eripere conarentur, ſempiternam vitam, & felicitatem daret. Hæc cum ſecum ipſe conſtituiſſet, proceſſit in mediam hoſtium ditionem, tantaque animi magnitudine, atque conſtantia rem chriſtianam curavit, ut opes Eccleſiæ non ſervaret modo, ſed etiam amplificaret. Interea Philippinenſes Dominicani, qui plena eſſe omnia difficultatum intelligebant, quo minus cuiquam ſuorum iter ingredi, inque eas regiones contendere liceret, deſpondendum animum non putarunt. Itaque Sanctacrucio anno MDCLXXXI. P. Raymundum Lezzolium, & anno MDCXCII. PP. Antonium Beriainum, & Thomam Garruchateguium ſubſidio ſummiſerunt. Sed Beria

riainus laboribus fractus, quibus assiduis, gravibusque in Laorum regno perfunctus fuerat, anno MDCXCV. decessit. At his rebus adversis deterreri nostri numquam potuerunt, quin viros illuc e suis doctrina, vitæque innnocentia illustres promulgatum Evangelium mitterent. Cumque hi diligentissime in obeundo munere versarentur, tantam sunt apud Sedem Apostolicam laudem consequuti, ut plures eorum amplissimis sacerdotiis ornati, præfectique incolis fuerint, qui christianam religionem profiterentur. Regnum est omne Tunquinensium in partes divisum duas. Harum una ad orientem, altera ad occidentem solem pertinet. Cum Innocentius XII. P.M. certior esset factus eorum, quæ Dominicani in Tunquino præclare, ac fortiter gessissent, Raymundum Lezzolium, quem propter singularem virtutem maxime celebrari intellexerat, XIII. kal. novembres anno MDCXCVI. Episcopum Olonensem dixit, in eamque partem, quam vergere ad orientem solem ostendimus, cum Vicarii Apostolici dignitate misit. Lezzolio anno MDCCXVI. Clemens XI. P.M. Johannem Sanctacrucium Nimeriensem Episcopum appellatum substituit; eique P. Thomam Sestriensem, qui post fuit Antistes Nissenorum renunciatus, adjutorem dedit. Sed omnia Philippinensium

Domi-

Dominicanorum in Ecclesiam Tunquinensem merita persequi & instituti operis brevitas impedit, & festinatio, ut ea explicem, quorum causa hæc esse ante dicenda videbantur.

De institutione vitæ, deque moribus Francisci Gilii Federicii.

II. Igitur his tot exemplis permoti, incensique studio curandæ non suæ modo, sed etiam salutis aliorum Franciscus Gilius, & Matthæus Alonsus Leziniana a Præfecto provinciæ Dominicanorum Philippinensium petierunt, ut sibi in Tunquinum centendere liceret. Sed quoniam de rebus ab his viris duobus fortiter extremo vitæ tempore, præclareque gestis differendum est, non alienum esse videtur, quo quisque eorum loco natus, quibus moribus præditus, quam ob causam adductus in eam sententiam fuerit, ut, amicis, patria, parentibus relictis, abeundum sibi in ultimas gentes arbitraretur, proponere. Atque a Gilio exordiendum est. Is Dertosæ in Hispania Tarraconensi anno MDCCII. Antonio Gilio de Federich, & Agnete Sansia honestis parentibus natus, XIX. kal. junuarias baptizatus, annoque post confirmatus chrismatis sacramento fuit. Ubi annum ætatis quinctum, ac decimum complevit, cooptatus in Ordinem Prædicatorum est, statoque deinde tempore Barchinone in Cœnobio S. Catharinæ solemni ritu suam Deo obstringens fidem promisit dicto se per-

perpetuo audientem, caſtum, ac pauperem futurum. Cumque ſic vitam inſtituiſſet, ut non modo bene de ipſo ſperarent noſtri, ſed etiam confiderent fore, ut omnium, quæ de virtute illius erat, vinceret opinionem; accidit ut Dominicani viros propagandæ religionis chriſtianæ cauſſa in Orientalem Indiam vellent mittere. Id ut intellectum Franciſco eſt, nam Gilio id erat nomen, quamquam annos viginti duos natus erat, operamque theologicis diſciplinis ſibi comparandis dabat, tamen Thomæ Ripollio tum Præfecto provinciæ Aragoniæ, qui poſt ſupremo eſt Ordinis magiſtratu potitus, ſignificavit, ſibi eſſe in animo in inſulas Philippinas Evangelium barbaris gentibus nunciatum ire: itaque petere, ut ſibi abeundi faceret poteſtatem. Ergo, amicis, cognatiſque valere juſſis, quam celerrime potuit, Gades contendit; indeque ſolvens anno MDCCXXX. novembri menſe Manilam attigit. Ubi Præfectus ei provinciæ experiundo, quam utilis eſſet Gilii opera chriſtianæ reipublicæ futura, cognovit, eum in Pangaſinamum religionem chriſtianam promulgatum miſit. Eo cum veniſſet, ratus fructum ſe laborum ferre vix poſſe, niſi loqui Pangaſinamice didiciſſet, in id ſtudium omne initio contulit, utque magnos ſe brevi progreſſus feciſſe vidit, ſeſe ad inſtituendos

incolas convertit. Quod munus incredibili quadam laude biennio fere ſuſtinuit. Quare qui proximis comitiis præfectus Philippinenſibus Domin canis fuit, eum Manilam accerſivit, ut ipſo ſcriba provinciæ, ac ſocio uteretur. Sed cum maximo deſiderio amplificandi, propagandique nominis chriſtiani arderet, nihil veritus pericula, in quæ ſeſe aliquando venturum providebat, Præfectum adiit, obſecravitque, ut ſi fieri ejus voluntate poſſet, ad Tunquinenſes ſibi tranſmittere liceret. Non recuſare laborem ſe, modo, qui inanium deorum ſuperſtitionibus tenebantur, ſua opera Chriſto Servatori conciliarentur. Id vero quamquam majorem in modum optaret, tamen quod ſatius eſſe parere, quam ſibi indulgere, ſciret, ſe non tantum ſiquid contra Præfectus juſſiſſet, ſed etiam ſiquid conſuluiſſet, tam libenter, quam quod expeteret, facturum. Præfectus virtutem hominis admiratus, morem obſecranti geſſit; atque, ubi tempus monuiſſet, facultatem diſcedendi fecit. Quæ res quam grata Franciſco fuerit, perfacile eſt exiſtimare. Igitur cumprimum potuit, navim conſcendit, nactuſque opportunum ad navigandum tempus, ad diem v. kal ſept in Tunquinum anno MDCCXXXV. pervenit. Qua in regione ut de moribus gentis cognovit, intellexitque, magnas ineſſe

Tun-

Tunquinenſium animis ad colendam virtutem opportunitates, prius ſibi linguam addiſcendam, propterea quod rem ſecus tam proſperos ſucceſſus habere poſſe, quam ipſe vellet, diffideret, tum populi ſaluti conſulendum exiſtimavit. Sed cum continere diutius ſe, quo minus cum incolis de religione ageret, nequiviſſet, quod graviter, acerbeque ferret, eos tanta in rerum divinarum ignoratione verſari, ubi ſe mediocrem ejus ſermonis facultatem conſecutum animadvertit, Givo-Thuyenſes, Chan Dinhenſes, & Vu-tienſes chriſtianos confirmare, ethnicoſque docere, horumque aliquibus ad Chriſtum adductis, rem orthodoxorum publicam augere cœpit. Agri ſunt Givo-Thuyenſis, Chan-Dinhenſis, Vu-tienſiſque in ea regni provincia, quæ ad meridiem pertinet. In his quadraginta ſunt fere chriſtianorum cœtus, quorum Dominicani, quibus ſunt attributi, curam gerunt. Horum cœtuum commodis ita Gilius proſpiciebat, ut non modo nulli labori parcere, ſed etiam noctes ipſas in re divina, ſacriſque peragendis diſtribuendiſque conſumere ſoleret. Quibus in rebus perficiendis ſingularis hominis virtus, atque animi magnitudo fuit. Nam, etſi, cum flumina tranſiret, pedeſve iter ageret, iiſve in locis verſaretur, in quibus perpauci chri-

ſtiani eſſent, periculum erat, ne in hoſtium veniret poteſtatem, demittendum nihilo ſecius animum non putabat. Ac ſi ſæpe evenit ut ſibi ab inimicis inſtructas eſſe inſidias intelligeret, magnoque incommodo accepto, fugam caperet, tamen quidvis pati ſatius duxit, quam ullam intermiſſionem officii facere, quod unius veri Deicauſſa ſuſcepiſſet.

De Matthæo Alonſo Leziniana, ejuſque inſtitutione vitæ.

III. Iiſdem fere laboribus perfunctum, iiſdemque virtutibus ornatum fuiſſe Matthæum Alonſum Lezinianam conſtat. Is Navæ Regis, quod eſt Lugduni Hiſpanienſis regni oppidum, honeſto loco natus, cum ea eſſet ætate, qua dijudicare per ſe ipſe poſſet quæ ſibi vitæ inſtitutio aptior ad ſequendum eſſet; ad Præfectum cœnobio Segovienſium Dominicanorum acceſſit, ab eoque petiit, ut ſeſe in Ordinem Prædicatorum cooptare vellet. Præfectus, qui ita ut fit, ubi aliquis noſtrum inſtitutum profiteri cupit, de moribus adoleſcentis quæſiverat, cumprimum quantum ingenio, virtuteque valeret, cognoſſet, concedendum, quod ille poſceret, exiſtimavit, annoque poſt fecit, ut ſolemni ritu ſuam Deo obligaret fidem, ſeque, dum vixiſſet, iis, qui præeſſent, morigerum, pudicum, perque virtutem pauperem futurum promitteret. Cumque ſic promiſſa impleſſet, ut proſpicere jam

poſ-

poſſent ſui ſummæ illum & gloriæ Ordini Prædicatorum, & Chriſtianæ reipublicæ utilitati fore, permotus vehementi quodam ſtudio latius diſſeminandæ religionis Præfectum provinciæ Caſtellæ, cui Segovienſes Dominicani parent, oravit, ut ſibi in Philippinas inſulas navigandi facultatem daret. Ea re a Præfecto permiſſa maturavit iter, Manilamque anno MDCCXXX. petiit. Inde ab eo, qui Philippinenſium Dominicanorum provinciam obtinebat, in Tunquinum Evangelium promulgatum miſſus, multis laboribus, difficultatibuſque ſuperatis, quibus in eodem itinere magnis eſt conflictatus, XIV. kal. febr an. MDCCXXXII. cum P. Petro Martyre Ponſgravio, qui poſt in eo regno Pro-Præfecti provinciæ partes egit, in adſignatum ſibi locum pervenit. Septimo menſe poſt, quam eſt in Tunquinum ingreſſus, is vero menſis quinctilis fuit, Givo-Thuyenſes chriſtiani, qui ejus provinciæ, quæ ad meridiem vergit, partem incolunt, inſtitutoribuſque utuntur Dominicanis, ab Thaytincho ſacrificulo viro improbo, noſtrorumque hominum capitali hoſte apud judicem accuſantur. Nam huic, qui ex ea civitate eſſet, quæ non longe a vicis diſtaret chriſtianorum, explorati frequentes ad eos itus, ac reditus Europæorum erant. Judex, ne ſpatium noſtris eva-

dendi, reſque ſuas alio ſupportandi detur, tribunum evocat. Huic mandat, ut onerarias naves paret, iiſque quam maximum poteſt numerum militum imponat, quidque deinceps fieri velit, oſtendit. Tribunus, quod juſſus eſt, facit, noctuque ſolvens, chriſtianos inopinantes oppreſſurus, in eorum vicos contendit. Nihil tale cogitantibus noſtris Tru-linea, Luethuga, Ke-Buea, & Tru-Pea vici repente obſidentur. Prima luce, qui Trulineam milites venerant, Thaytincho indice uſi, in ædes, in quas divertere Dominicani conſueſcebant, irrumpunt; eaſque, inventis latebris, in quibus illi ſacram ſupellectilem, reſque ſuas ceteras occultarant, diripiunt, indeque ac illac circumcurſantes, vicum depopulantur. Idem fere qui ſunt in proxima loca miſſi milites fecerunt. Interea Dominicani, qui fuga ſibi ſalutem petierant, amiſſis rebus omnibus, maximis incommodis premebantur. Quo tempore Matthæus, cum locum nullum, in quo ſatis tuto conſiſteret, haberet, incertis ſedibus vagari, ac modo ſeſe in naves, modo in ædes chriſtianorum, quæ longe a vicis, de quibus eſt demonſtratum, diſtarent, abdere cogebatur. Quod vitæ genus cum per plures menſes duxiſſet, dici vix poteſt quantum detrimenti acceperit. Sed his tam adverſis rebus abſterreri non potuit, quin

lin-

linguam Tunquinenſium ſummo ſtudio addiſcere conaretur. Nam qui eo ſeſe contulerat, ut mortalibus commodo, ſalutique eſſet, intelligebatque parum in hoc genere proficere quemquam poſſe, qui ſermone incolarum non uteretur, nihil laboris, diligentiæque prætermittendum judicabat, quod conferre videretur ad comparandam ejus linguæ ſcientiam. Itaque ubi loqui Tunquinice ita, ut facile ab incolis intelligeretur, cœpit, curam ſuſcepit chriſtianorum, qui ſuperiorem ejus provinciæ, quæ ad meridiem vergit, partem incolunt. His, poſt annos aliquot, Præfecti juſſu, qui illius opera uti ad recte inſtituendos chriſtianos, qui inferiorem ejuſdem provinciæ partem occupaſſent, ſtatuerat, relictis, ad Giao-Thuyenſes, Bu-Tienſes, Chan-Dinhenſesque deſcendit; quibus cum diu exemplo, ſtudio, diligentia profuiſſet, in Phu-Taienſem, eique proximas Toparchias Chriſti nomen, religionemque latius propagatum profectus eſt. Inde ad Nam-Chanenſes, Dai-Lenſes, alioſque Luc-Phuyenſibus vicinos chriſtianos, ut Præfecto jubenti obtemperaret, migravit, atque apud eos ad diem uſque, qua in poteſtatem venit ethnicorum, permanſit. Quamobrem etſi imbecillus, tenuique valetudine erat, tamen quod incredibili ſtudio curandæ ſalutis animorum incenderetur,

decennium in Apoſtolico munere obeundo ita conſumſit, ut, peragratis locis omnibus, in quibus chriſtiani commendati fidei Dominicanorum erant, non modo ſynaxes ad multam noctem produceret, ſuoſque, quibus poterat, rebus juvaret, ſed etiam ubi ſe religionis, caritatiſque erga homines cauſſa aut perpeti quidpiam, aut ne cogitantem quidem in vitæ periculum veniſſe videbat, magnopere lætaretur. Ac ſæpe ſeſe, cum navigaret, aut pedibus iter ageret, aut domi rem ſacram adminiſtraret, in id diſcrimen deductum vidit. Ex quo ægre, magnoque interdum accepto incommodo, liberatus, tantum aberat, ut animo dejiceretur, ut majorès ſpiritus ad rem ſtudioſius gerendam ſumeret. *Catbechiſtas*, hoc eſt inſtitutores chriſtianæ plebis, quibus propter peritiam linguæ Tunquinenſibus uti Prædicatores conſueverunt, in religionis doctrina verſatos præ ceteris eſſe volebat, quam ob cauſſam non modo iis quotidiano ſermone erudiendis operam diligentem dabat, ſed etiam coëmptis ſuo impendio libris, ut legendo ipſi per ſe quidnam eſſet credendum cognoſcerent, curabat. Intelligebat enim, ſi plane, perfecteque, ut eorum poſtulabat inſtitutum, explorata præcipua doctrinæ chriſtianæ capita haberent, faciliorem ſibi *ſacramentorum* adminiſtrationem futuram. Quibus ex rebus

bus maximæ utilitates in Tunquinenſem Eccleſiam manarunt. Diuturnis præterea precibus colere divinum numen, ſibique propitium reddere ſtudebat. Deiparam Virginem ſingulari ſecundum Deum veneratione proſequebatur; cui rem gratam facturus id precum genus, quod *Roſarium* dicimus, adhibebat. Magno item in quoſque homines amore ferebatur. Siquorum rem eſſe afflictam familiarem cognorat, eorum, quibus poterat largitionibus, inopiam levabat. Comiter quoſque, benigneque non alloqui modo, ſed etiam excipere conſueverat. Quin etiam tam demiſſe, tamque de ſe humiliter ſentiebat, ut omnibus ſeſe deteriorem eſſe arbitraretur, & ſiquid feciſſet, quod alteri minus placuiſſe exiſtimaret, eum cumprimum poſſet, adiret, ſibique ut ignoſceret, obſecraret. Quæ hominis virtutes tam erant conſpicuæ, ut non Dominicanis ſolum, ſed etiam aliis compertæ, cognitæque eſſent. Hilarius ab Jeſu Auguſtinianus Coricenſis Epiſcopus, Apoſtolicuſque in Tunquino Vicarius earum ſe teſtem fuiſſe oculatum ſcribit.

IV. Cum ita inſtituti, comparatique animis Leziniana, Giliuſque eſſent, operamque augendæ, confirmandæque Tunquinenſi Eccleſiæ diligentem darent, Gilius, qui Luc-Thuyenſes creditos curæ Dominicanorum noſtris eſſe ſacris

Franciſcus Gilius in ethnicorũ poteſtatem venit, deque eo liberãdo Chriſtiani fruſtra laborant. Itaque ad regẽ ini-

deducitur, & in morbum graviſſimum incidit.

initiatos cognorat, a quibus propterea nihil mali eſſe metuendum arbitrabatur, Luc-Thuyum contendit. Ibi cum aliquamdiu degiſſet, an. MDCCXXXVII. III. non ſextiles, quo die propter continuationem imbrium, vimque vehementem ventorum ne ſuſpicari quidem poterat ſe in hoſtium poteſtatem venturum, cum ſummo mane rem divinam feciſſet, nunciatum ipſi ab amicis fuit magnam ethnicorum multitudinem noctu in oppidum veniſſe, duceque ſacrificulo Thaytincho obſediſſe domum, nequa ſpes evadendi, fugaque ſalutem petendi eſſet. Id ubi Gilius intellexit, S. Joſepho, quem magnopere venerabatur, ſe, remque chriſtianorum publicam commendavit, moxque nullo trepidationis ſigno dato, impavide apertis cubiculi foribus, ſeſe in deditionem hoſtibus permiſit. Igitur milites continuo in eum impetum fecerunt, captumque, ligatis retro ad tergum manibus, ad proximam fluminis ripam adduxerunt, juſſeruntque, ut navim, quam ejus cauſſa paraſſent, conſcenderet. Venerat una Thaytinchus, de quo ſupra demonſtratum eſt, quem etſi ante Gilius numquam viderat, tamen ut conſpexit, eum eſſe judicavit, quem noſtri hoſtem eſſe acerrimum chriſtianorum ferrent. Interea cum Franciſcum ethnici in navim inductum arctius conſtringi, cuſtodirique cu-

curaſſent, virum unum, mulieresque chriſtianas duas comprehenſas, vinctaſque eodem deduxerant. Noſtr, qui aliorum neminem quidquam adverſi perferre pateretur, ſacrificulum obſecravit, quoniam ſatis ipſe eſſet, de quo ethnici ſupplicium ſumerent, ceteros ut liberos abire ſineret. Thaytinchus, qui capto Franciſco, magni ſe quidquam conſecutum exiſtimabat, facile, quod Gilius petebat, conceſſit. Eodem fere tempore milites Franciſci domum, proximaſque ædes chriſtianorum diripuerunt. Poſt cum inde ſolviſſent, quæſitum ex noſtro fuit, ſibi ne quidquam metueret. Ille, qui non modo Chriſti cauſſa omnia perpeti haud ægre ferret, ſed etiam cuperet, non quæ ſibi, ſed quæ chriſtianis Tunquinenſibus impenderent, damna ſeſe metuere reſpondit. Erat Thaytincho in animo non ad regem, ita ut leges Tunquinenſium poſtulant, Gilium ducere, ſed domi detinere, propterea quod extorquere ſeſe ab noſtris auri copiam poſſe confideret. Itaque, ut eum in ſuas ædes adduci fecit, chriſtianis ſignificavit, ſi ſalvum habere Gilium vellent, auri ſummam, quam ipſe imperaſſet, darent. Negarunt noſtri tantas ſibi eſſe opes, quibus avaritiæ ſacrificuli ſatisfacerent. Optare quidem ſe, ut ſibi, quem Patris loco haberent, reſtitueretur. Quare ſi ea mediocri, quam ipſi

of-

offerrent, pecunia contentus Thaytinchus eſſet, curaturos ſe, eidem ut continuo numeraretur. Sin minus, hoc ſe miſerabilio-
res eſſe, quod propter facultatum, reique familiaris inopiam conſequi, quod cuperent, non poſſent. Cum ne his quidem pollicitationibus quidquam profeciſſent, artibus primum, tum vi hominem liberare conſtituerunt. Sed experiundo cognorunt induſtriam, artes, vimque ipſam adverſus hoſtem & potentem, & cautum, nihil valere. Itaque communi chriſtianorum ſententia delecti fuerunt, qui Pro-Præfectum provinciæ virum ethnicum, adirent, eique ſignificarent, quæ ab Thaytincho geſta adverſus Gilium improbe, fuiſſent. Quum hi, quod ſibi mandatum fuerat, feciſſent, promiſiſſentque, ſi reſtitutus ipſis Franciſcus eſſet, ſeſe illi certam pecuniæ ſummam daturos, Pro-Præfectus cum armato milite in domum, ſacrificuli, reſiſtentibus licet ethnicis, irrupit, captumque Gilium navi imponi, atque in ſuas ædes deferri imperavit. Servus erat Thaytincho perverſiſſimis moribus, qui ita, ut herus, noſtris rebus adverſabatur. Is ut quid noſter reſponſurus eſſet, ſi ex eo judices de rebus quibuſdam quæliſſent, cognoſceret, & ad herum, ita, ut convenerat, referret, habere ſe aliquando ab Senatu ad Gilium mandata ſimulavit. Hunc item Pro-Præfectus ca-
pi,

pi, inque carcerem contrudi juſſit, quaſi noſtri adjutor, auctorque turbarum eſſet. Ubi Gilius magnum numerum chriſtianorum eo quaſi ad ſpectaculum concurriſſe vidit, opera id eſſe illorum factum exiſtimavit, ut ſibi libertas ad ſuos redeundi daretur. Interea ſacrificulus, qui ſpe quidquam a noſtris extorquendi exciderat, cum vehementer ſibi metuere cœpiſſet, ne reus, quod leges patrias violaſſet, ageretur, rerum omnium, ut acciderant, certiorem ſummum magiſtratum fecit, ac non Luc-Thuyenſes, finitimoſque chriſtianos ſolum, ſed etiam Pro-Præfectum provinciæ accuſavit, quaſi vi illata, abſtuliſſet lucri cauſſa hominem, quem ipſe regi tranſdere conſtituerat. Pro-Præfectus, quamvis ante noſtris promiſerat acturum ſeſe, ut ad eos Gilius liber proficiſceretur, his tamen rebus perterrefactus non modo promiſſis ſtandum non putavit, verum etiam navi impoſitum Gilium ad regem detulit, reumque ſacrificulum egit, ac ſi chriſtianis partibus ſtuderet, & Franciſcum aluiſſet domi. Eo in itinere, quod ad dies omnino decem productum fuit, cum Gilius febri conflictaretur, vixque propter æſtum quidquam guſtaret, commovit in ſe uxorum, concubinarumque Pro-Præfecti miſericordiam. Hæ ſuſcepta hominis cura, ex ipſo ante, quod ſibi afferri obſonium

vel-

vellet, quærebant. Itaque prandium, ut ille se velle dixerat, parabant. Nihilo secius cum plus cibi sumere, quam prius consuesset, nequiret, tum aucta febris sic est, ut interdum sensu rerum destitueretur. Hæc ille incommoda tanta constantia, alacritateque animi ferebat, ut post ad amicos scriberet incidisse in eum morbum divina voluntate sese, ut nonnihil perpetiretur, propterea quod adversis rebus, quibus pressus hactenus fuerat, ne perturbatus quidem fuisset.

Gilius febri, & stomacho vehemẽter laborans custodibus carcerum transditur, ut in vincula conjiciatur.

V. Jam dimotus vi febris a sensu Gilii animus erat cum ethnici ad principem regni urbem navim appulerunt. Hoc statu cum esset, jussu magistratus transditus custodibus carceris est, quo nullum esse diriorem apud Tunquinenses ferunt. Custodes cum ita vexari, urgerique hominem vidissent, ut brevi interiturum arbitrarentur, conjiciendum in vincula non putarunt. Itaque in atrio, sub excubitorum lecto, nuda humo stratum reliquerunt. Quo in loco post etiam, quam est ipsi usus sensuum restitutus, ut sine stragulo jaceret, quamdiu apud eos mansit, compulerunt. Interea Gilius vehementer stomacho laborabat, omnique fere cibo sese abstinere cogebatur. Quare quidquid illi cibariorum a secunda præfecti carcerum uxore parabatur, id ille pene totum Thaytinchi famulo, qui, ut supra demonstratum

tum eſt, quaſi ſuam Gilio operam locaſſet, a Pro-Præfecto provinciæ ad Regem adductus, iiſdem cuſtodiis aſſervabatur, libenter dabat. Sed is famulus eodem, quo in carcerem detruſus eſt, anno ſubito morbo correptus periit.

VI. Paucis poſt diebus, quam Gilius in magiſtratus poteſtatem venit, qui præfectus iis carceribus erat, in quibus fortiſſimi viri e Societate Jeſu, qui anno eodem MDCCXXXVII. religionis chriſtianæ cauſſa gladio percuſſi fuerant, conſtitiſſent, a ſenatu petiit, ut Franciſcum quoque apud ſe collocari in cuſtodia juberet. Uſu namque temporum ſuperiorum compererat, quantum inde lucri facturus eſſet. Nam chriſtiani, modo alloqui ſuum inſtitutorem, ac magiſtrum poſſent, libenter numerare cuſtodi pecuniam conſueverant. Qua re intellecta prioris carceris cuſtodes, cum is præfectus cautionem, conſcriptionemque de erepto inde Gilio faceret, ne ſine lucro vexaſſe hominem viderentur, detractis veſtibus, quibus erat indutus, pene nudum præfecto in cuſtodiam tradiderunt. Eductum milites ad arboris, quæ prope aberat, umbram deducunt. Rei novitate permoti viri, adoleſcentulique, eo ſpectandi cauſſa concurrunt. Qui crucem magno apud nos in honore haberi, colique noverant, rati ſe moleſtiores homini futuros, arundines capiunt,

Ethnici exiguas cruces efficiunt, eaſque pedibus proterũt. Has Gilius diſſolvit: mox in catenas conjicitur.

piunt, indeque cultro abſciſſis partibus, cruces efficiunt, quas in terram projectas pedibus proterunt. Noſter, qui derideri ſe, contemnique non modo patiebatur, ſed etiam gaudebat, ubi ſalutis generis humani ſignum ab hoſtibus conculcari animadvertit, angi vehementer animo, dolereque cœpit, ſecumque cogitans circumſpexit, ullam ne reperire poſſet ſacrilegos a maleficio deterrendi viam. Cum nulla reperiretur; ſuæ erga Chriſtum Servatorem pietati ſatisfacturus, optimum factu eſſe judicavit, ſi cruces colligeret, eaſque veneratus diſſolveret. Id ubi aliquandiu non ſine magno ſuo incommodo, & labore fecit, gravi namque ægritudine corporis tenebatur, a ſatellitibus duobus in præſidis ædes, quæ prope ab altero carcere diſtabant, transfertur, humique, propterea quod alienatus a ſenſibus eſſet, deponitur. Poſt quam ethnici uti rurſum hominem ſenſuum facultate intellexerunt, inde ereptum in carcerem adducunt, & in catenas conjiciunt. His ille catenis ad diem uſque, quo martyrium obiit, vinctus fuit.

Gilius ſumma ægritudine oppreſſus a Tunquinenſi ſacerdote pœnitentiæ Sacramento expiatur: paulloque poſt cõvaleſcit.

VII. Cum æger in carcere ſine ulla medicorum ope maneret, eſſentque permulti, qui ob diuturnitatem morbi brevi deceſſurum arbitrarentur, miſertus viri Vincentius Ngagius Tunquinenſis ſacerdos, cuſtodes convenit. Is cum myſte-

ſteriorum chriſtianæ religionis virtute humanis animis medicinam faceret, rogavit, ut ſi fieri eorum voluntate poſſet, ſibi, qui medicus eſſet, ingredi curatum Gilium liceret. Ea re impetrata, ad ægrum continuo introivit, atque, ut ex eo, ſiquid umquam peccaſſet, cognovit, eumdem *Sacramento pœnitentiæ* expiavit ritu catholicorum. Vix dies pauci interceſſerant, cum inſperato, ſola mutatione aquæ, febris deceſſit, Gilioque ita ſunt reſtitutæ vires, ut deinceps optime valeret.

VIII. Chriſtiani, cum primum conjectum in vincula Gilium accepiſſent, viginti nummos argenti cuſtodibus dederunt, ut ſævos, pecuniæque cupidos homines delinirent, eoque adducerent, ut curaturos ſe, ne quiſquam illi moleſtus eſſet, neve iis, qui cibum afferrent, in in carcerem aditum clauderent, pollicerentur. Sed hi, pecunia diſſipata, promiſſis minime ſteterunt. Itaque virum ſæpe injuriis, contumeliiſque inſectari, crebriſque incommodis premere, ut eum, quod poſcerent, argentum a chriſtianis poſtulare cogerent. Quod ſi quandoque ſe petiturum negabat, nequis chriſtianorum ad ipſum adiret, neque cibum importaret, impediebant. Quare mulier chriſtiana, quæ illius initio curam ſuſceperat, ut quæ cognita præfecto cuſtodum eſſet,

Mulieres duæ Gilii curam gerunt eumque e carceribus in ſuas ædes recipiũt, atque ad eum tuto chriſtiani adeunt.

ſet, verita ne, quod ipſi minabantur, infortunium ferre miſera cogeretur, incœptis deſiſtendum exiſtimavit, poſtque menſem anum deditam olim ſuperſtitionibus deorum, quæ in ædibus adjunctis carceri habitabat, majorem in modum obſecravit, ut id ſibi negotium ſumeret. Erat enim chriſtianæ mulieri exploratum, anum ipſam victum viris illis quatuor e Societate Jesu, de quibus antea diximus, miniſtraſſe, inductamque crebris eorum cohortationibus fuiſſe, ut chriſtianam ſe aliquando fore promitteret; ſed nondum initiari myſteriis noſtris potuiſſe, quod magiſtri, qui eam plene de religionis decretis docerent, defuiſſent. Quamobrem ſperabat, illius operam, quæ irrideri ſeſe, quod noſtris partibus ſtuderet, contemnique ab altera anu, quæ ſimulacris cultum adhibebat, unaque erat continenter domi, æquo animo pateretur, Gilio maxime utilem futuram. Atque rei quidem exitus ſecundior, quam chriſtiana mulier providiſſet, fuit. Non enim ea tantum, quæ nobis aſſentiebatur, ſed anus etiam ſuperſtitioſa Gilii curam ſuſcepit, atque a præfecto carcerum aliquanto poſt tempore impetravit, ut Franciſco in ipſarum ædes veniendi, ibique aliquamdiu conſiſtendi poteſtas eſſet. Id vero percommode accidiſſe chriſtianis videbatur, propterea quod tutos, facileſque ad Gilium adi-

aditus haberent . Nam ante, etſi viſere hominem, atque alloqui in carcere poterant, metuebant tamen, ne, ſi una diu, ac libere egiſſent , in fortunarum, vitæque periculum venirent .

Gilius quid magiſtratibus interrogantibus reſpõdẽdum ſit ſecũ deliberat: chriſtianorũque rationem imprimis eſſe habendã ſtatuit.

IX. Interea cum Gilius in judicium vocaretur , proſpiceretque fore , ut ex ſe judices de Thaytincho ſacrificulo (quem a Pro-Præfecto provinciæ, quæ ad meridiem vergit , ac ſi fautor, adjutorque chriſtianorum eſſet, & Gilium occultaſſet domi, apud ſenatum fuiſſe accuſatum, reumque actum , oſtendimus) quærerent, ſecum ipſe cogitare, deliberareque cœpit , quibus reſponſis interrogantibus ſatisfaceret . Verebatur enim , ne , ſi Luc-Thuy captum a ſacrificulo ſe fuiſſe diceret , detrimento chriſtianis eſſet ; ſin autem a Pro-Præfecto in Thaytinchi ædibus repertum , is ſacrificulus infortunium infelix ferret . At grave utrumque videbatur, propterea quod neque amicis, præſertim quos ipſe inſtituiſſet, vehementerque diligeret , nocendum , neque inimico par pari referendum ſciret . Veniebat illi in mentem perſpicue palam eſſe , quod comprehenſus ipſe Luc-Thuy , quod navi impoſitus, quod vinctus inſidiis Thaytinchi eſſet . Sed cum animadverteret nihil horum ſacrificulo prodeſſe in judicio poſſe , quod omnes Pro-Præfecti cauſſam tuerentur , conſtaretque neminem, qui

contra christianos testimonium diceret, futurum, quo primum in loco captus fuisset, enunciandum non arbitrabatur. Contra nonnullæ res hominem hortabantur, quare se a Pro-Præfecto in sacrificuli domo inventum fuisse confirmaret. Nam confessus id quidem Thaytinchus erat. Quapropter, quod is detrimentum cepisset, hoc non esse vitio tribuendum sibi, qui nulla sua culpa in judicium accessisset, prospiceretque, si de rebus, quæ sibi ante acciderant, locutus esset, magnum se damnum christianis Luc-thuyensibus allaturum. Succurrebat præterea ludi a se eam disceptationem tacendo posse. Non enim quæsituros de religione judices, pro qua sibi non modo publice respondere, sed etiam vitam profundere, certum esset. Hæc diu secum cogitanti commodissimum visum est, captum se a Pro-Præfecto in ædibus Thaytinchi dicere, non quo huic succensendum, sed quo christianis consulendum existimaret. Nam cum imperatum ei a Pro-Præfecto provinciæ Tunquinensium Dominicanorum esset, ut commentarios rerum a se gestarum conficeret, de Thaytincho in hanc sententiam scripsit. Displicere vehementer sibi detrimenta, quæ illius hominis improbitate christiani caperent; sed cum manicas, compedes, carceresque, in quos se conjectum videbat, contemplaretur, ex

extorqueri a se non posse, quin plurimum ei se debere confiteretur. Itaque, si quidem suppeterent, nummos se ipsi fuisse argenteos philippeos tria millia numeraturum.

Gilius in judicium adductus, interrogatusque de singulis rebus respondet.

X. Cum ventum in prætorium esset, viri, puerique Gilium circumsistunt, lignaque ita, ut supra demonstratum est, in crucis figuram componunt, quæ ubi conculcarunt, ei ante pedes projiciunt. His magno cum labore collectis, solutisque crucibus, ad senatum ingredi cogitur. Erant in judicio Thaytinchus, Luc-Thuyensesque christiani tres de loco, ubi captus Europæus fuerat, disceptantes. Quæritur ex Gilio, ecquis horum ipsum recepisset domum. Is christianos digito demonstrans id, quod verum erat, testatus, apud hos umquam se divertisse negat. Tum sacrificulum indicans, cum hoc, inquit, mansi aliquamdiu domi. Hac re intellecta judex, qui propensior in nostros erat, Thaytinchum, christianosque dimittit, Gilium retinet. Scribæ, ut attendat, quæquæ dicantur, in tabulas referat, jubet. Inde nostrum, quo ex regno sit, quo tempore in Tunquinum pervenerit, in quem primum hominem adventans inciderit, rogat. Monet, ut de locis, in quibus fuisset, ex quo tempore in id regnum venit, confiteatur, quo die, quibus in ædibus, a quo tandem viro captus, adductusque in ju-

dicium fuerit, exponat. Ne se celet, quamdiu ea in domo manserit, quid rerum ibidem gesserit, & an cuiquam explicarit christianorum legem. Ad hæc Gilius breviter respondit. Ortum esse in Hispania se, biennio ante, quam adductus in judicium fuisset, pervenisse in Tunquinensium ditionem. Nomen se viri, in quem primum adveniens incurisset, memoria non tenere. Nam de locis quod judex percuntaretur, sciret, nullas sibi stabiles in eo regno sedes fuisse. Id a se tempus, suique instituti rationem postulavisse, ut modo hac, modo illac incertis locis, ac sedibus vagaretur. Captum se Pro-Præfecti jussu fuisse in sacrificuli Thaytinchi domo, decimo fere post die, quam eo se contulisset. Ne putaret judex, cuiquam iis in ædibus explicatam ab se fuisse christianorum legem. In eas namque se alterius rei causa venisse. His rebus scriba suo arbitratu perplures alias adversus Thaytinchum adjunxit, inque tabulas retulit. Quibus compertis Gilius moleste tulit, propterea quod nemini invidiam conflari pateretur.

Rursus ad quæstionem ducitur; dimissoque, atque in carceres redeunti pueri cruces proterentes molestiam exhibent.

XI. Postridie ejus diei judex Gilium ad senatum reduci imperavit. Cum is locus, in quo haberi senatus solet, longe ab carcere abesset, ac æstate anni tempore gravissimo tam magni calores essent, vix ut ferri posse viderentur, Gi-

liusſ-

liuſque vehementer ex pedibus laboraret, quod rigore, ac pondere catenarum diſciſſi fuiſſent die ſuperiore, tanta moleſtia, tamque acerbo animi ſenſu afficiebatur, ut non modo non incedere, ſed ne inſiſtere quidem poſſet. Nihilo ſecius imperata milites fecerunt, abductoque Gilio, cum ad parentum, avorumque regis templum, qua itur ad ſenatum, veniſſent, ei, ut pileum honoris cauſſa deponeret, juſſerunt. Sed in eum, qui reſpondiſſet, ſe numquam, quod dicerent, facturum, ob eamque rem, quaſi moribus incultus, ruſticuſque eſſet, contemneretur, nihil eſt crudeliter imperatum. Ubi perventum ad ſenatum eſt, judices feriis Tunquinenſibus fas ſibi eſſe quæſtionem inſtituere negaverunt. Itaque continuo Gilium dimiſerunt, militibuſque, ut eum in carcerem reducerent, mandarunt. Redeuntem cum milites ad cauponam, quo ingreſſi bibendi vini cauſſa fuerant, conſiſtere coëgiſſent, magna puerorum multitudo circumſiſtit, factiſque crucibus, inque terram projectis, & conculcatis, indignis modis ludificatur. Nam quod ille injuriam ſalutis generis humani ſigno fieri videret, vehementi dolore cruciabatur. Itaque, cum memoria, quæ ſibi ante evenerant, teneret, ratus, ſi colligere, venerari, diſſolvereque cruces, ita ut fecerat, cœpiſſet, multitudinem

nullum earum conficiendarum, conculcandarumque finem facturam, convertere aliorsum oculos, remque dissimulare, quasi non cerneret, decrevit. Id ut unus aliquis ex eorum puerorum turba animadvertit, ridens, ludensque occlamitare, salvum esse oportere Gilium, ut qui christianus esse desiisset. Noster, qui ne joco quidem hæc de se dictitari ferret, ludere puerum respondit, adstanteſque mendacio fallere conari. Inde, nequis rem aliorsum, atque ipse feciſſet, acciperet, inclinare se rursum, crucesque colligere, venerari, atque dissolvere, idque jam lætus, alacrisque facere incœpit, quod se Christi causſa vel a pueris ludibrio haberi cerneret.

Pueri Gilio molesti esse pergunt.

XII. Ad hunc modum, quocumque tandem accessisset, magnus semper populi concursus fiebat, & arundinum partes, festucæque ad crucis figuram a pueris componebantur. Imagines etiam, quæ hominem cruci affixam exhiberent, proferebantur, quæ filo longis arundinibus alligatæ, ita ut a piscatoribus hami solent, illius manibus, pedibusve applicabantur. Quindecim interdum, aut viginti eodem temporis momento eidem cruces ante pedes projiciebantur, iisque nondum omnibus collectis, solutisque, aliæ conficiebantur, proterebantur, eique in faciem adjiciebantur. Inventi præterea quando-

que

que fuerunt, qui cruces in viam, qua eundum ipsi in aliquem locum esset, abjicerent, ut eum, si forte remorari gradum, vel conturbari vidissent, ludificarentur. His turbis, clamoribusque permoti tabernarii, opificesque, ne ad officinas ipsorum accederet, curabant. Prospiciebant enim, quamdiu ibidem constitisset, ob tumultum, qui tum oriri soleret, neminem ad fores, qui merces emeret, venturum. Quod si, qui vinctum ducebant, milites in domum aliquam aut bibendi, aut alius rei gerendæ caussa divertissent, a patrefamilias redarguebantur, propterea quod ausi ad sese ingredi cum eo fuissent, quem ob flagitia esse capitis condemnandum scirent. Quamobrem cum Gilius de se ad Pro-Præfectum Tunquinensium Dominicanorum scriberet, si ea, inquit, virtute valerem, qua Patrem nostrum sanctum Dominicum præstitisse constat, equidem hoc genus ludibriorum, non pacato animo solum, sed etiam alacri tulissem. Sed cum noverim ipse me, fateor aliquando subiratum flabello pueros deterruisse, ne mihi esse molesti pergerent. Hi vero, muscarum instar, quo plus abigebantur, eo importuniores erant.

XIII. Interea, etsi gravissimum Gilio erat, sese non religionis, sed privatæ Thaytinchi controversiæ caussa tam sæpe

Mulieres Gilio officia præstant; eique ut apud eas cibum su-

mere liceat, impetratur. Gilius ab Episcopo Coricensi administrandorum sacrorum facultatem obtinet: atque ab Cœmanensi Episcopo, olea sancta, librumque ritualem accipit.

in judicium vocari, tamen, quod vix quidquam requietis caperet, quod sæpe dimissus, quin audiretur, quod catenis vinctus in carcerem a militibus traheretur, quibus militibus, nisi pecuniam mercedis nomine dedisset, sese vestibus ipsis spoliatum iri providebat, quod denique tot injurias, contumeliasque acciperet, incredibili gaudio cumulabatur. Atque his tot malis, cum eis frequentes itus, redituſque e carcere ad senatum essent, ac summo æstatis tempore calore pene conficeretur, repentinus surarum tumor, quæ plenæ pustularum erant, scabiesque accesserat. Quæ res tantum doloris homini afferebant, ut dies quindecim ne lento quidem gradu incedere valeret. Anus, de quibus supra demonstratum est, quod eum tam gravi morbo conflictari, esseque mortalium neminem viderent, qui laborantem ægritudine levare vellet, illius misericordia commotæ, ut ei esse aliquantum virium restitutum intellexerunt, custodes adeunt, rogantque etiam, atque etiam, ut eidem e carcere exeundi, inque ipsarum ædes veniundi faciant potestatem. Nam sic illis recipiunt; ubi medicamentis curata vulnera pedum essent, eum statim in carcerem rediturum. Ea re a custodibus permissa, facile sibi anus persuaserunt, fieri quoque eorum voluntate posse, ut

ad earum domum Gilio prandendi, cœnandique etiam cauſſa accedere liceret. Igitur opportunitatem temporis ſecutæ rem obtinent. Cum omnia ſibi accidiſſe ſecunda perſpicerent, ſperarentque fore, ut precibus, muneribuſque adducti cuſtodes diem totum domi ab Gilio duci paterentur, quod quidem noſſent chriſtianis, qui una manere, & colloqui cuperent, non gratum modo, ſed jucundum etiam futurum, non ante conatu deſiſtendum arbitrantur, quam ad ſuam voluntatem cuſtodes flectant. His ita, ut providerant, ſuperatis, atque in ſuam ſententiam inductis, hoſpitio mulieres virum recipiunt. Qua re intellecta, chriſtiani frequentes ad eum concurrere cœperunt. In his ſacerdotes quidam Tunquinenſes erant, quibus, ſiquid umquam peccarat, dixit, ab eiſque petiit, ut ſibi, Dei nomine, cujus eſſent miniſtri, veniam dare ne gravarentur. Interea litteras ad Coricenſem Epiſcopum in hanc ſententiam ſcripſit. Quoniam non minus id ipſe contenderet, ac laboraret, ne, qui noſtram religionem profitebantur, quidquam detrimenti caperent, quam ut ethnici Chriſto Servatori conciliarentur; petere quidem ſe, ut ſibi eos, qui ſacrorum cauſſa veniſſent, myſteriis initiandi, ſuppliceſque expiandi jus eſſet. Erat tunc Coricenſis Præſul

Vi-

Visitator, ut vocant, provinciæ, quæ ad occidentem solem spectat, qua in provincia urbs est regia Tunquinensium. Is, consilio Gilii probato, facultatem ei agendi, quod Parœco liceret, dedit. Quo tempore impetratum ab Episcopo Ceomanensi, qui provinciam *Pro-Vicarii* nomine regebat, fuit, ut ei quam celerrime posset, olea sancta, librumque *ritualem* mitteret. Sed eo anno *pœnitentiæ sacramento* nonnullos, baptismo autem vix eidem perpaucos, qui in carcere extremo morbo premebantur, expiare fas fuit.

Gilius a custodibus vexatur; sed numerata pecunia ab his impetrat, ut ad mulierum ædes ire pergat. Mulierum alteram superstitionibus Deorum deditam ad sanitatē convertit. Ea sacris initiata paullo post moritur.

XIV. Anno MDCCXXXVIII. januario mense, anni illius annamitici postrema luna, cum Gilius brevi se gladio percussum iri confideret, legati ab Sinis in metropolim Tunquini venerunt, qui nunciarent, eum, qui principatum in republica obtineret, fuisse ab Imperatore appellatum regem. Judices, qui festos dies ejus rei gratia institutos funestari non oportere existimabant, sumendum alio tempore de reis supplicium duxerunt, quos capitis condemnaverant. Præterea nondum lata in Gilium sententia fuerat, quod Thaytinchus, christianique litigare pergerent, quibus contendentibus, nihil de illius capite statui posse videbatur. Nihilo secius conjectus iterum in vincula, angustiis-

que

que carceris conclusus fuit, propterea quod custodibus statim, quod petierant aurum, non dedisset. Sed cum soluta pecunia eorum avaritiam expleviſſet, eique liberum permiſſum eſſet, ut, ſi vellet, mulierum, de quibus ſupra demonſtratum eſt, frequentaret domum, repente exorta eſt importunæ anus nefaria ſuperſtitio, quæ primo annamitici anni die religionibus ſeſe impediri diceret, quin aditum homini ad ſuas ædes dandum arbitraretur. Nam præſente Gilio neque diis ſupplicare, neque parentibus, aviſque ethnicorum more preces, honoreſque adhibere ſe poſſe ſperabat. Eam enim ſæpe hortari Gilius conſueverat, ut contemtis numinibus deorum, quorum inani cultu animi contaminarentur, Chriſtum verum Deum, Servatoremque generis humani coleret. At mulier, etſi pergratum ſibi eſſe ajebat, quod ad ſe Gilius prima luce, antequam ipſa ad mercatum res ſuas venum proficiſceretur, veniret; propterea quod aliquando egreſſa domo occurriſſe eum ſibi omnium primum, ſeque jam ea die magnum, divenditis mercibus, lucrum feciſſe, aniliter animadvertiſſet; tamen nefas eſſe kalendis, quibus diebus ſacrificabat, noſtrum quemquam in ſuas ædes introduci putabat, monentique, ut chriſtianis ſe daret in diſciplinam, reſpon-

debat

debat jocans, cum rex noſtris legibus paruiſſet, tum ſe chriſtianam continuo futuram. Sed menſe martio, cum ile vehementibus, aſſiduiſque doloribus preſſus eſſet, numerataque pecunia, ab cuſtodibus obtinuiſſet, ut dies, noctesque in anicularum domo commoraretur, mulierque ſuperſtitioſa lubens e ſuo cubiculo diſcedens, lectum ibi laboranti ſterni curaſſet, factum beneficio Dei O. M. eſt, ut ea præmium ſuæ erga Gilium humanitatis caperet, cultumque negligeret deorum. Nam cum in gravem morbum paullo poſt incidiſſet, a quo neque medicamentis levari, neque liberari ſuperſtitionibus, quibus multis implicabatur, potuiſſet, in eam cogitationem venit, ut Gilio, cujus in ſe, mortaleſque ceteros caritatem, ſingularemque virtutem pluribus exemplis, argumentiſque cognitam habebat, obtemperaret. Deliberanti, cum viſa nocte objicerentur, quæ ipſa ab hoſte generis humani immitti judicaret, noſter, cui ſe magnopere commendarat, fuſis ad Deum precibus, opem tulit. Ea ubi placatiſſimam ſibi quietem allatam ſenſit, ſequi ſtatim, quod cepiſſet conſilium, ac ſive infirma, ſive integra valetudine eſſet, chriſtianis ſacris ſeſe adſtringere, decrevit. Itaque orare, atque obſecrare Deum, ſibi ut adeſſet, implorare chri-

[ſtiano-

ſtianorum fidem, ne ſe deſererent, neve de Religionis decretis docere gravarentur, petere majorem in modum ab Gilio, ut ſalutem animi baptiſmo ſibi impetrare vellet. Sed cum ille diem ex die duceret, rogatuſque ab altera anu, ut flagitanti morigeraretur, nondum ſaris maturuiſſe fructum dixiſſet, ea, ubi quæ de ſe Gilius ſentiret, cognovit, tantum abfuit, ut apud ſociam conquereretur, ut læta, atque alacris reſponderet, ſe, quamquam ad annos mille produxiſſet vitam, nunquam ab religione, quam unam eſſe veram compererat, diſceſſuram. At cum continenter Gilium pulſare, urgereque pergeret, initiata demum myſterio baptiſmi eſt, poſtque menſem imbuta pœnitentiæ, extremæque unctionis ſacris, ita deceſſit, ut conjicere noſtri poſſent, eam eſſe felicitatem, quam cuperet, conſequutam. Anus altera, quam ſtudere jam inde a multo tempore rebus noſtris cœpiſſe diximus, amiſſa ſocia, Gilium convenit, ei, quibus injuriis Chriſti, Gilii ipſius, ceterorumque chriſtianorum cauſſa afflicta ab cuſtodibus fuiſſet, narrat. Rogat, ne ſe tamdiu in Cathecumenis eſſe patiatur. Quamobrem muniat ſibi baptiſmo ad cetera myſteria, atque ad ſempiternam ſalutem viam. Noſter, qui æquum ab ſe peti noverat, mulieri ſatisfecit.

Quæ

Quæ ſic deinceps vitam inſtituit, ut multo alacrius, quam ante conſueviſſet, injurias, contumeliaſque ferret.

Gilius capitis condemnatur. Interea ſacris veſtibus acceptis, ſæpe rem divinam facit, & ſacra hominibus miniſtrat.

XV. Eodem fere tempore Gilius Euchariſtia ab Tunquinenſi ſacerdote munitus, biſque jam ad ſenatum adductus, dimiſſuſque, quin audiretur, fuit. Poſt judices Gilium innocentem, atque inauditum rei capitalis, Thaytinchum vero ad elephantorum curam ob receptum Europæum ſacerdotem domum, damnarunt. Horum ſententias cum alii judices, ad quos ſacrificulus appellarat, probaſſent, eamque in Thaytinchi ipſius filium, quam pater ceperat, pœnam conſtituiſſent, Gilius, qui liberum ſibi ab cuſtodibus fieri videret morari, dum ſibi placuiſſet, remque divinam facere, ſi vellet, domi, ad Pro-Præfectum provinciæ Tunquinenſium Dominicanorum ſcripſit, ut veſtes ad ſe ſacras, quam celerrime poſſet, mitteret. Nam antea, quod nondum inter eum, cuſtodeſque de pecunia conventum eſſet, ſpem omnem e carcere exeundi, quoties ſibi viſum opportunum eſſet, abjecerat, niſi ſtatim, quod illi peterent, argentum, cumque peterent, numeraſſet. Sed pacto pretio (nam præter ſummam, quam fidei juſſori dabat, qui ſuo periculo Præfecto carcerum ſuaſiſſet, numquam Gilium fugam arrepturum, cuſto-

cuſtodibus ſe argenti nummos duodecim, daturum promiſerat), tum demum fas ſibi eſſe exiſtimavit de ſacris veſtibus cogitare, curareque, ut ad ſe commodum deferrentur. His partis veſtibus, ad diem IV. idus octobr., qui dies dominicus eo anno erat, primum ſacrum fecit. Sed impetrare non potuit, ut ſibi quaque die idipſum facere liceret. Cuſtodes enim, qui modo cupiditatem explerent ſuam, pacta, conventaque nihili penderent, ſæpe homini, ne in ea pernoctaret domo, interdicebant. Nihilo ſecius quadringentas hoc ipſo anno *confeſſiones*, ut dicimus, audivit, paucoſque in carcere, qui brevi interituri videbantur, rituque chriſtianorum expiari peterent, baptiſmi ſacris initiavit.

XVI. Poſtrema annamitici anni luna, qui annus fuit MDCCXXXIX. januario menſe, quo tempore apud Tunquinenſes rei capitis plecti ſolent, cautum a cuſtodibus eſt, ne, cum de ceteris ſupplicium ſumeretur, educere quiſquam e carcere Gilium auderet. Nam etſi decretum, ut is etiam necaretur, erat; tamen, quod tertium ab Thaytincho appellatum eſſet, non ante in eum animadvertendum judices putabant, quam dicta rurſum, & cognita cauſſa fuiſſet. Ergo cum Gilius ſummo ſuo dolore, ſpe potiundi eo anno martyrii dejectus eſſet,

Cuſtodes, ne Gilius e carceribus educatur, curant, eumque vexant: poſt, pecunia accepta, ut libere cū chriſtianis agat, concedunt.

eſſet, ad amicos, ut qui de ſe humiliter, demiſſeque ſentiret, factum ſua culpa fuiſſe ſcripſit, propterea quod implicatus peccatis, inque Deum ingratus eſſet, ſuperbeque, rebus tam ſecundis elatus, viveret, quo minus id boni, quod vehementer optarat, conſequeretur. Extremo annamitico anno cum cuſtodes ab eo pecuniam poſtulaſſent, qua comparare ſibi res poſſent, quibus ethnici ad ſacrificia uterentur, ipſeque ſe eam ob cauſſam daturum negaſſet, tam arcte cuſtodiis conſtrictus, totque contumeliis vexatus fuit, ut ei neque excedendi e carcere, neque reſpirandi poteſtas eſſet. Sed ubi nocentiſſimi viri nihil ab ſe agi animadverterunt, finem eſſe faciundum injuriarum, circumſpiciendumque duxerunt, aliamne ullam inire poſſent, qua argentum ab eo extorquerent, viam. Itaque impendi eam ad uſus oportere dixerunt, in quibus nihil eſſet, quod nefas, minuſque honeſtum videretur. His ut noſtri ſatisfecerunt, permiſſum Gilio eſt, ut primis anni diebus quatuor in domo aniculæ maneret, myſteriiſque chriſtianorum præſidio mortalibus, ac ſaluti eſſet. Inde cum nunciatum fuiſſet, ſi duodecim, quos cuſtodibus dabat, quoque menſe nummos regales argenteos quatuor addidiſſet, neminem poſthac, qui ipſi negotium exhiberet

beret, futurum, paullum ut ſecum quid ſtatuto eſſet opus cogitavit, cuſtodes adiit, pactaque pecunia impetravit, ut ſibi deinceps, quocumque in loco viſum eſſet, verſari, cumque chriſtianis de ſummis religionis rebus agere liceret.

XVII. Interim dies dictionis cauſſæ conſtituitur. XIII. kal. ſextiles judices Gilium ad ſe adduci, ut de loco, in quo captus erat, fateatur, jubent. Jam ille ſecum conſtituerat, ſe ne verbum quidem, ſi de ea re judices quæſiſſent, dicturum. Nam quod anno ſuperiore interrogantibus reſpondiſſet, quodque ſuis reſponſis adjuncta quædam mala fide ab ſcriba fuiſſe intellexiſſet, acerbe tulerat. Cum enim ipſe diſtincte, aperteque affirmaſſet, dies fere decem, hoc ille veterator ſic immutavit, ut annos duos Gilium apud Thaytinchum latuiſſe ſcriberet. Jam in atrium Gilius venerat, cum concurſus eſt iterum puerorum factus, qui cruces, ut ſupra eſt demonſtratum, efficerent, pedibuſque, eo inſpectante, protererent. Qua re animadverſa unus judicum irriſurus hominem, bacillos duos ad figuram crucis compoſuit, eique ante pedes projecit. Sed Gilius acceptam crucem veneratus, ſolvit, ac judici bacillos reſtituit. Qui judex, cum inter Thaytinchum, chriſtianoſque, qui inter ſe contenderent, me-

Gilius in judicium adducitur; deque multis rebus interrogatus, pauca reſpondet; de reliquis rebus nihil ſe umquã dicturũ confirmat. Itaque ei judices cruciatus minantur.

dium poni Gilium jussisset, tum hunc intuens, ex te, inquit, peto, qui vocere, ubi ante versatus sis, quam in sacrificuli domum venisses, atque unde te illuc contuleris? Eloquere; nam si tacueris, scito te verberibus cædendum. Quid autem impedit, quin explices, quæ enunciaras anno superiore? Atque sic habeto: hoc te esse tacendo consecuturum, ut, qui adsunt, & mendacem te ipsum, & falsam esse, quam colis, religionem, jure arbitrentur. Ad hæc Gilius: est, inquit, mihi Franciscus nomen. Annus est, ex quo in Tunquinensium ditionem perveni, quartus; quorum priores duos in promulganda christianorum lege, reliquos in carcere contrivi. Cetera ne roga: mihi quidem certum est tacere. Nam, si de religione percuntere, intelliges, non esse in vitio hominem, qui se christianum profitetur. Quod si de loco, ubi captus, vinctusque fueram, dixi anno superiore, de susceptis etiam a me enunciandi Evangelii caussa itineribus palam dixi. Quare non est opus, ut esse rursum dicendum putem. Quod ais, si taceam, quæ nulla caussa, ut efferam, impellit, fore aliquos, qui & mendacem me, & falsam esse christianorum legem existiment, inane est. Quæ namque sit inter hæc colligatio, ne suspicari quidem possum.

Ac

Ac veram esse, quam colo, religionem, tam certum est, ut oratione non egeat. De mendacio quod subdis, nihil moror, cum evinci a nemine, nisi calumniando, posse videatur. Hac oratione audita, Thaytinchus nostri defensionem suscepit, revocatisque in memoriam rebus, quæ dictæ diu ante ab eo in judicio fuerant, obtestatus judicem est, ne se Gilium umquam mendacio implicasse arbitraretur. Sed Gilius, stulte, inquit, me, cum ita loquerer, feciſſe, & agnosco, & fateor. Nam qui interrogabant, ita erant animis comparati, ut per summam injuriam, qui me aluissem, puniendum, qui vero comprehendissem, atque in vincula conjici imperasset, præmiis donandum judicarent. Ægre cum hæc, graviterque tulisset judex, quæsivit, num, si eum percuti gladio jussisset, id ille judicaret injurium, & contra rationem futurum? Ad quæ Gilius, dubiumne est? inquit. Ego vero, si cædi me jusseris, non æquo animo solum, sed etiam lubens patiar. At judex, si vera est religio christianorum, inquit, quæ tanta est illorum improbitas, ut apud nostrum aliquem accusati, innocentes, impositis falsis criminibus, calumnia perdere conentur? Tum Gilius, quos mihi, inquit, christianos narras? his moribus si qui sunt, ii certe divinam non ita obser-

vant, ut debent, legem. Placuit hæc omnibus, qui in judicio aderant, Mandarinis reſponſio. Quamobrem inter ſe collocuti, eam, quaſi plauſum dare vellent, uſurparunt. Interea judex Thaytinchum, chriſtianoſque adſtantes demonſtrans, horum eſſe necem, vitamque in Gilii poteſtate, confirmat. Itaque hominem, ut verum eloquatur, monet, ne quem innocentem, tacendo, condemnari cogat. Quod ſi moleſtus tam diuturno ſilentio judicibus pergat eſſe, minatur, militibus ſeſe, ictibus malleorum ei ut oſſa confringant, imperaturum. Sed Gilius nullam eſſe cauſſam reſpondet, cur hi plectantur, qui chriſtianos ſacerdotes alere ſolerent. Quamobrem eſſe utriſque parcendum. Nam ab ſe fruſtra de loco, in quo captus fuerat, inquiri. Nihil ſibi metus afferre, quæ judex de ictibus malleorum, oſſifragioque comminaretur. Id ſi accidat, non grave ſibi, ſed pergratum, ac jucundum ſine dubio futurum. His acceptis reſponſis, judex crucem a militibus in terra delineari, quam contendentes Thaytinchus, chriſtianique conculcarent, juſſit. Cumque Thaytinchus multas ſeſe in carcerem iconas a militibus, dum eſt comprhenſus Gilius, illatas vidiſſe, quas noſtri venerarentur, dixiſſet, haſque afferri, ut ab ſe, ceteriſque protererentur, poſtulaſſet, judex

dex in posterum diem rem esse differendam sanxit, minatusque verbera, nisi de rebus, quas scire senatus vellet, confessus esset, Gilium dimisit.

Præfectus carcerum Gilium in carcerem condi imperat atq; ne anus eum adeat, cavet. Ethnicæ mulieres duę homini cibũ afferunt.

XVIII. His gestis rebus, Præfectus carcerum defessum se ambulando esse affirmavit. Itaque se caussa laboris, quem ob adductum in judicium, reductumque in custodiam Gilium sustinuisset, sex regales argenteos nummos poscere. Custodes, qui ad se quatuor reliquos perventuros sperabant, auctores Gilio fuerunt, ne plus ei duobus daret. Quorum cum noster consilium sequutus esset, iram in se præfecti concitavit, qui statim, ut in carcerem conderetur, jussit. Post in mulierem, quæ prandium attulerat, commotus, eam, si rediisset, comprehendi, atque extemplo vinciri imperavit. Ea re anus perterrefacta neque vespere vincto cœnam, neque postridie ejus diei quidquam ciborum afferre potuit. Jam præfectus Gilium crassis compedibus constringi præceperat, neque mortalium quisquam reperiebatur, qui ei auxilio esse auderet, cum factum divina providentia est, ut ethnica mulier eorum, qui inclusi custodiis essent, miserta ad carceres veniret, eisquem oryzam coctam, melongenasque salitas distribueret, indeque etiam Gilio partem daret. Quo tempore altera item ethnica mulier eidem fructus quosdam illius

lius generis obtulit, quos *plantanos* Tunquinenſes vocant. Interim qui Gilii curam ſuſceperat, cum reſciviſſet quam multis ille, quamque gravibus incommodis premeretur, ſeſe tot nummum argenteorum præfecto, quot initio petiiſſet, daturum promiſit, modo ſolvi hominem, liberumque interdum e carcere prodire pateretur. Præfectus accepta pecunia, nihilo ſecius in nervo dies tres Gilium detineri juſſit. Sed is, qui unde hæc tanta crudelitas extitiſſet ne conjectura quidem aſſequi poterat, urgerique ſe tot ærumnis propterea quod tacuiſſet, arbitrabatur, quæcumque acciderent adverſa, hilari animo ferenda judicabat.

Judices Gilio, ut crucis imaginé proterat, ſuadent. His Gilius pleraque dogmata chriſtianorũ proponit. Rurſus iconas percutere juſſus negant ſe facturum; ac Thaytinchũ, ne eaſdé percutiat, impedire conatur.

XIX. XI. kal. ſextiles judex, cum arcas, quibus libri, iconeſque continebantur, afferri, Giliumque ad ſe adduci imperaſſet, militeſque imperata continuo feciſſent, arreptis bacillis quatuor, imagines crucis duas formavit, quas ingredienti martyri ante pedes per contumeliam inſultans projecit. Gilius, qui plane, quorſum hæc pertinebant, perſpiceret, cruces collegit, atque utramque, ut chriſtianum hominem decebat, veneratus, unam ſolvit, alteram, ut ſibi certanti præſidio eſſet, retinuit. Poſt judex, ubi fruſtra de loco, rebuſque ceteris, quæ tritæ omnibus judiciis fuerant, quæſivit, hortatus martyrem eſt, ut, quoniam ta-

cere

cere conſtituerat, imaginem ſaltem crucis fuſte percuteret. Cumque Gilius negaſſet, ſe ſe, quod inique præciperetur, facturum, extrahi judex iconas ex arca tres, quarum prior Chriſtum cruci affixum, altera vero chartacea, tertiaque eburnea Deiparam Virginem exhibebat, fecit. His extractis Gilius, flexis genibus, honorem adhibuit. Ex eo rurſum, cum de loco, in quo captus fuerat, quæſitum eſſet, judex quæ ſint ejus generis imagines, percuntatur. Gilius amplam occaſionem explicandæ ſenatoribus religionis, doctrinæque chriſtianorum nactus, iconem, quæ virum cruci affixum exhiberet, Chriſtum Dei filium, qui ſibi humanam naturam communis hominum ſalutis cauſſa adſumſerit, mortemque obierit, exhibere dicit. Nam duas reliquas Virginis illius iconas eſſe, quæ eumdem peperit humani generis Servatorem. Hoc accepto reſponſo judex, quo ſe noſtri poſt mortem transferendos putent, interrogat. Cui ſacrilego multa inepte, impieque diſputanti Gilius paucis ſatisfecit. Chriſtianos, qui recte vitam inſtituerint, poſt mortem in cælum ſe migraturos, participſque ſempiternæ felicitatis futuros ſperare confirmat. Errare vehementer ethnicos, qui res quaſque notionibus corporum metirentur. Non enim corporibus ſolum homines, ſed etiam animis conſtare. Itaque

ſolutum corpore animum, qui concretus non eſt ex hac terrena, mortalique natura, ſi recte ſe geſſerit, in cælum conſcendere æternam felicitatem conſequuturum. Sin male, in inferna detrudi loca perpetuis ſuppliciis cruciandum. Atque a Deo quidem hæc omnia chriſtianos didiciſſe. Non fuiſſe ab ſe, cum hæc eadem hominibus dogmata traderet, auditum Deum. Tradita autem divinitus fuiſſe, tam eſſe certum, ut qui dubitet, næ is maximo in errore verſetur. His a Gilio explicatis rebus, cum iterum judex quæſiſſet, quo ille ſe abiturum poſt mortem conſideret, eique noſter iiſdem, quibus ante, reſponſis ſatisfeciſſet, miles, cui id negotium datum fuerat, arrepto fuſte, in medium proceſſit. Ubi Gilius ad ſeſe hominem accedere vidit, ratus ſe ita, ut minatus judex fuiſſet, crudeliter cædendum, paravit ſeſe, flexiſque genibus oſtendit ultro ſe pro religione, quæcumque judices decreviſſent, laturum. Qua re animadverſa, qui aderant, non eo conſilio allatum fuſtem dixerunt, quo cædi eum a quoquam vellent, ſed quo ipſe iconas percuteret. Id ut ille audivit, cohorruit, acceptumque continuo fuſtem, ab ſe, deteſtatus ſacrilegum facinus, abjecit. Milites quod incœptis deſiſtendum non putarent, chriſtiano, qui in judicium cum Thaytincho acceſſerat, fuſte, ut id faceret, quod noſter

ſter recuſaſſet, juſſerunt. Cum is humi ſe proſtraviſſet, demonſtraſſetque dicto ſe audientem non futurum, ſacrificulus, ut innui ſibi animadvertit, fuſtem arripuit. Jam cognoverat Gilius fore, ut is eburneam Mariæ Virginis iconem peteret. Itaque manibus Deiparæ, infantiſque Jeſu Chriſti capita contexit, monuitque ſacrilegum, ut ſe potius, quam ſacram imaginem feriret. Riſerunt judices, interque ſe colloquuti, cæcos eſſe Europæos dixerunt, qui tanto in ſuas iconas amore, ac ſtudio ferri ſolerent. Interim Thaytinchus militibus oſtendit, ſi vi illata Gilium amoverint, ſe continuo imaginem contriturum. Quare duorum militum conatu, nam a ſolo vinci nequiverat, tollere de icone Gilius manus cogitur. Incredibile dictu eſt, quam acerbus homini dolor inceſſerit, ubi eburneam quidem imaginem fuſte percuſſam, chartaceam autem pedibus a ſacrificulo protritam vidit. Eoque magis diſcruciabatur, quo nullum a Thaytincho fieri injuriarum finem cerneret. Igitur cum a ſe paullum milites receſſiſſe, liberumque ſibi eſſe impedire, ne ille chartaceam conculcare pergeret, cognovit, in medium procedit, vique imaginem ex improbi viri pedibus ſublatam, veneratur. Milites, qui nihil indignum ferendum cenſent, Gilium circumſiſtunt, exque medio excedere coactum ludifican-

tur,

tur, irridenteſque magnum ab icone fuſtis ictibus acceptum dolorem affirmant. Sed ille ſuſcepta defenſione religionis, Jeſum, ac Mariam eo in loco eſſe reſpondet, in quo neque doloris quidquam, neque incommodi pati poſſint. Noſtros imaginibus memoriæ cauſſa uti docet. Denique eos, ut laceſſere, atque obloqui deſinant, hortatur.

Gilius in carcerem reductus in febrē graviſſimam incidit, paulloque poſt cōvaleſcit. Itaque rurſus quæſtio de eo habetur. Ipſe de legibus, deque chriſtianorum religione multa præclare differit.

XX. His rebus ultro citroque dictis, dimiſſo ſenatu, Gilius in carcerem reducitur. Eo ut pervenit, tam graviter agitari febri cœpit, ut, qui aderant, brevi deceſſurum arbitrarentur. Pro-Præfectus Dominicanorum, ut de caſu viri certior eſt factus, negotium ſacerdoti cuidam Tunquinenſi dedit, ut quam magnis diurnis, nocturniſque itineribus poſſet, in metropolim proficiſceretur, ac laboranti opem ſacris chriſtianorum ferret. Sed quum ante hujus adventum Gilius convaluiſſet, dies eſt iterum judicio conſtitutus. Senatores, quod magnopere diſſiderent, ac pars quidem eſſet eorum in chriſtianos, pars vero in Thaytinchum propenſior, cauſſæ totius unum eſſe arbitrum ſtatuendum, quodque is cenſuiſſet, jus, ratumque habendum judicarunt. Arbitro dicto, qui prodeſſe chriſtianis cuperet, XII. kal. octobres judicium inſtituitur. Judex cum ex Gilio quotidiana illa de cauſſa, cur ſe in Tunquinum contulerat,

de

de tempore, quo primum venerat, captuſque fuerat, inque ſacrificuli ædibus manſerat, quæſiſſet, ſcribæque imperaſſet, ut, quæ dicerentur, in tabulas referret, tum monuit Gilium, ut ſeſe a ſole ad umbram reciperet. Monenti ſenator ex eorum numero ſupervenit, quos æquiores Thaytincho fuiſſe oſtendimus. Is, advocatis chriſtianis, & ſacrificulo, noſtro, ut medius conſiſteret, imperavit. Ubi omnes, quod juſſi fuerant, fecerunt, ex te, inquit, Franciſce, inquiro, quæ te res impulerit, ut, patria relicta, in hoc tibi regnum eſſe veniundum arbitrarere? Ego ne? inquit noſter; religionis promulgandæ cauſſa veni. Sed judex, ecquid, inquit, auxilii afferre cuiquam iſta tua religio poterit? Qui noſtram, inquit Gilius, obſervant, coluntque religionem, his ſolum effugere ſupplicia, ſempiternaque felicitate potiri licet. Nam ſectæ ceteræ, quæcunque tandem ſunt, maximis in erroribus, atque in ſumma rerum divinarum ignoratione verſantur. At cautum, inquit judex, legibus Tunquinenſium fuerat, ne quis iſtud religionis genus in hoc regnum inferre auderet. Ad hæc Gilius, jus eſſe nemini, dixit, leges condere, quæ cum ratione pugnent. Pugnare autem ſanctiones principum, ſiquæ umquam contra religionem divinitus datam ſcribuntur. Atque ea, quæ conſen-

tanea rationi non ſint, in legibus poni non oportere. Quemadmodum enim eam legem appellem, inquit, quæ apportet confuſionem, perturbationemque legum? Poſt, quum multa ex eo judex percuntatus eſſet, tum demum, quorum opera captus, contrictuſque vinculis fuiſſet, quæſivit. Inde iratus, quod interroganti ſibi nihil Gilius reſpondiſſet, ejus dixit & orationem mendacem fuiſſe, & falſam eſſe, quam coleret, religionem. Negavit noſter oſtendi a quoquam poſſe, quæ de mendaci oratione judex affirmaret. Quod ſi mentitus ipſe, cum interrogantibus ſatisfacere conaretur, eſſet, non tamen eſſe conſequens, quod ethnici calumniando de religione chriſtianorum concludere auderent. Hujus namque religionis legibus vetari, non probari mendacium. Ubi ſenatores nihil agi intellexerunt, propterea quód Gilius de loco, deque viro, a quo primum comprehenſus fuerat, tacere conſtituiſſet, hæc ſolum ſcribæ, ut in tabulas referret, imperarunt: Franciſcum Gilium jam uſque ab annis quatuor in Tunquinum veniſſe. Annos duos, quin ullas ſtabiles ſedes haberet, regionem Tunquinenſium peragraſſe, incolaſque docuiſſe chriſtianorum legem. Dies in ſacrificuli ædibus decem conſtitiſſe. De rebus aliis interrogatum noluiſſe reſpondendo judicibus ſatisfa-

tisfacere. Cum hæc agerentur, animadverſum ab Gilio eſt, uſum fuiſſe litterulis duabus ſcribam, quæ duæ litteræ pravæ religionis præſidem, & veluti caput ſignificarent. Quare monuit judices, niſi *Cu* litteram deleri juſſiſſent, numquam ſe tabulas ſignaturum. Itaque ea deleta, ſcriptiſque *hoa lang* litteris, quæ Luſitanienſem legem indicant, quo nomine chriſtianam religionem Tunquinenſes vocant, ſenatores manum tabulis ab Gilio imponi fecerunt, ut digitorum longitudine deſcripta, hoc enim ſigno, qui ſcribere tunquinice neſciunt, uti conſueverunt, obſignari acta, cauſſaque omnis ex jure cognoſci, dijudicarique poſſet. Ea quæſtione habita, quin lata in reos ſententia fuiſſet, dimiſſoque ſenatu, judices militibus, ut Gilium in carcerem reducerent, juſſerunt.

Magiſtratus belli rumoribus diſtinentur. Interea Gilius ſacra chriſtianis adminiſtrat: denique arcte cuſtodiis aſſervatur.

XXI. Interim crebri ad regem rumores afferebantur, permultos in regno conjurare, reſque eas parare audere, quæ ad bellum pertinere viderentur. Rex his nunciis commotus, dat negotium finitimis, ut, quæ apud eos gerantur, cognoſcant, ſeque de his rebus faciant certiorem. Nunciantibus manus cogi, exercitumque in unum locum conduci, ut re cibaria proviſa, oppida muniant, delectumque militum habeant, jubet. Dent operam ſenatores, præfecti provinciis, magiſtratuſque

tuſque regni omnes, nequid reſpublica detrimenti capiat. Hoc tam gravi, tamque diuturno, quod ad annos fere quatuor productum eſt, bello diſtentis judicibus, nihil eſt crudelius in Gilium imperatum. Poſtrema anni luna tam arcte cuſtodiis aſſervandum judices ſtatuerunt, ut ei ad diem uſque, quo animadverſum in aliquos reorum fuit, quos illi capitis condemnaverant, neque noctu, neque interdiu egredi e carcere liceret. Hoc anno expiati a martyre pœnitentia trecenti, ac pueri, adultique aliqui baptiſmate, conſecrati; quique ſuprema ægritudine laborantes aut ciſtis, ut pauperes apud Tunquinenſes ſolent, aut retibus inclauſi ad eum aſportabantur, extremæ unctionis ſacris initiati ſunt. Dites regales nummos argenteos tres cuſtodibus cauſſa mercedis dabant; pauperes unum. Qui bene valebant, Giliique viſendi gratia ad eum frequentes ventitabant, niſi una, dum ille rem divinam faceret, manſiſſent domi, ne obolum quidem ſolvere cogebantur.

Diſtentis bello magiſtratibus, Gilius ſacra adminiſtrare pergit.

XXII. Anno MDCCXL. cum Tunquinum inteſtino bello arderet, ac non magiſtratibus modo de cauſſis cogitandi, ſed etiam noſtris inviſendorum, confirmandorumque in fide chriſtianorum ademta poteſtas eſſet, qui in metropoli agebant, ad Gilium frequentes venire, ſacraque

craque ſuſcipere curabant. Itaque mille, ac ducenti pœnitentiæ, triginta baptiſmi myſteriis initiati, expiatique fuerunt.

Chriſtiani ad Gilium frequenter ſacrorum ſuſcipiẽdorum cauſſa contendunt. Qui ei ſubſidio venire conſuerant, a cuſtodibus vexantur.

XXIII. Poſt, cum an. jam MDCCXLI. neque oryza, quod accidere tam diuturna civium diſſenſione neceſſe fuit, neque reliqui commeatus ſupportari, interclusis itineribus, poſſent, fame, peſtilentiaque incolæ conficiebantur. Chriſtiani, cum vaſtatum regnum, ſeque in ſummum vitæ periculum deductos viderent, enitendum ſibi omni ſtudio putarunt, ut, quoniam corporum nequirent, ſacrorum ope, quod eſſe potiſſimum expetendum arbitrarentur, ſaluti animorum ſempiternæ conſulerent. Quamobrem majore numero, quam ante conſueſſent, ad Gilium convenerunt. Itaque *confeſſiones* auditæ MMDCCLXVII., mulieres, virique, baptizati XCII., extremæque unctionis myſteriis expiati LXXXVIII. Extremo anni tempore cuſtodes avaritia permoti plurimis, graviſſimiſque contumeliis mulierem, cujus proximæ carceri ædes erant, noſtrumque hoſpitio excipere ſolebat, vexarunt, viroſque duos, quos eſſe Gilii familiares cognoverant, ceperunt, & vinctos in nervo retinuerunt. Hos cum noſter, curato cuſtodibus argento, liberaſſet, in judicium vocatur, inauditusque dimittitur. Manat interim rumor in vulgus, eſſe Gilium brevi ad ſupplicium ducen-

cendum. Ea re intellecta, chriſtiani pietate, miſericordiaque erga hominem, quem parentis loco habebant, permoti, quid actum, ſtatutumque a ſenatu eſſet, inquirunt. Cognita judicum voluntate, ſuos, ut ne timeant, utque bono ſint animo, hortantur.

Gilius apud regis fratrem rem divinam facit; cumque eo de religione diſputat.

XXIV. Die jovis, qui dies ante Paſchalia erat quartus, anno MDCCXLII. Gilius apud regis fratrem ſextum orthodoxa matre natum rem divinam fecit. Is quamquam bene in noſtros animatus erat, tamen quod ſibi ab rege metueret, initiari myſteriis chriſtianorum non audebat. Die ſabbato, qui dies ſanctus hebdomadæ magnæ fuit, Gilius flumen tranſivit, eoque in oppido, quo magnus erat concurſus chriſtianorum factus, ſacrum peregit. Septembri menſe in avunculi regis domum, illius rogatu, venit, ubi ad horæ dimidium de religione diſputavit. Cumque ille interdum capere, quæ a Gilio dicerentur, non poſſet, auctorque huic, ut nonnulla rurſum explicaret, fuiſſet; tum, his, quæ audierat, probatis, libros chriſtianorum, quorum ſe aliquos legiſſe ajebat, nihil aut pravi, aut abſurdi; contra eos, qui perſcripti ab ethnicis fuiſſent, multa continere, quæ cum ratione pugnarent, dixit. Inde noſtrum intuens, multis ſe negotiis impediri adjunxit, quin de iis rebus diutius colloqui poſſet.

poſſet. Itaque abiret. Nam cum tempus vacuum, ac liberum nactus eſſet, eum ſe rurſum ad colloquium vocaturum. Ac tum quidem, ſi quem haberet de religione librum, ſumeret, & ad ſe adferret. Eum præterea, qui Hiſpanus eſſet, Tunquinice neque ſatis diſtincte interdum, neque ſatis commode loqui poſſe. Quamobrem interprete opus eſse. Igitur ex familiaribus unum aliquem ſecum adduceret, qui utraque lingua multa uteretur. Eſse namque ſibi in mandatis a rege datum, ut de chriſtianorum legibus cognoſcat. Paullo ante, quam Gilius in colloquium veniſſet, cum domeſtici avunculi regis eſse illi in animo dixiſſent quærere, ullumne chriſtiana religio doceret perduellium tollendorum, paciſque reſtituendæ modum; ita eſse noſtros inſtitutos reſpondit, ut ab his, qui reſipuiſſent, quique fuſis precibus ad unum verum Deum confugerent auxilium poſtulatum, impetrari facile pacem poſſe confiderent. Ac regem quietiorem fortaſſe, ſi innocentes odio perſequi ceſſaſſet; ſin autem in eos ſævire pergeret, turbulentiorem, ſeditioſioremque populum habiturum.

XXV. Jam regnum inopia rerum omnium, ita uti ſupra demonſtravimus, premebatur, magnoque numero incolæ peſtilenti morbo correpti interibant. Qui morte ſibi, quos cariſſimos haberent, eri-

Chriſtiani de impetrãda Gilio libertate per matris regis ſororem ſtudioſe agũt; ſed propter

mulieris mé-dacia non impetrant. Denique Gilius amplius méſe continenter in carceribus detinetur.

pi videbant, quod neque eas res interdum parare, quibus famem ſuſtentarent, viresque reficerent, alioque cadavera aſportarent, neque auxilio quemquam accerſere poſſent, propterea quod vel langue-rent ipſi, atque egredi domo nequirent; vel vicini periiſsent, vel ſibi quiſque, ſuiſque prius, quam alienis ſubveniendum arbitraretur, ſoli in edibus brevi & ipſi interituri ſuum caſum miſere lamentabantur. Alii etſi bene valebant, tamen aut male ſibi, quod improviſo perplures febri oppreſsos, extinctoſque cernerent, metuebant; aut amiſſis parentibus, fratribus, filiis, amicis incredibili mœrore, luctuque conficiebantur. Ita oppida, agrique pleni fletuum, & clamorum erant. Rex, qui urbes, vicoſque gravi annona conflictari, vaſtarique cultoribus agros aliquandiu tuliſset, communium tandem miſertus infortuniorum, omnes magna cum ſignificatione voluntatis, clementiæque erga illos ſuæ, quibuſcumque rebus poſſet, juvare cœpit. Ea re incitati chriſtiani, ratique adveniſse optatum, opportunumque ad Gilium liberandum tempus, uno omnium, imprimiſque Pro-Præfecti provinciæ Tunquinenſium Dominicanorum conſenſu, matris regis ſororem adeunt, petuntque majorem in modum hoc apud regem agere ne gravetur. Id ſempetrarit, daturos ei ſeſe quadringentos argen-

teos

teos regales nummos promittunt. Gilius, qui mori pro Christo cuperet, ægreque eos christianorum conatus ferret, etsi Pro Præfecto jubenti, ne conantibus impedimento esset, paruerat, tamen hortatus omnes etiam, atque etiam est, ut ne quid principi mentirentur. Hæc de se pauca regi proponi velle. Sese in Tunquinum promulgandæ religionis christianæ caussa veniisse. Eam ob rem captum se tandem, senatusque consulto fuisse capitis condemnatum. Nunc esse multos, qui solvi ipsum, emittique e carcere, in eoque regno libere versari rogent. Nostri, ita ut conventum fuerat, fecerunt. Nihilo secius mulier pecuniæ cupida, quod aliter se argentum comparaturam diffideret, rem esse mendaciis implicandam duxit. Itaque regi exponere decrevit, mercatorem esse Gilium, qui merces in regnum ex Hispania convexisset. Nihil apud eum christiani repertum fuisse ab his, qui odio in religionem commoti, comprehendi hominem, atque in vincula conjici imperassent. Quare Thaytinchum, qui incommodi a Francisco accepti auctor fuerat, S. C. ad elephantorum curam esse damnatum. Orare proinde se regem, ut virum innocentem abire liberum patiatur. Id ut rescitum ab Gilio est, continuo ad mulierem misit, qui dicerent, displicere vehementer sibi, quæ illa facere

imprudens meditaretur. Igitur caveret, nē fraudibus regem falleret. Nam ſi fefelliſſet, ſciret, fruſtra ſe a chriſtianis, quam ſperaret pecuniam, petituram. Illa, etſi Franciſco nihil ſecus, quam ſibi eſſet a chriſtianis mandatum, facturam recepit; tamen mutandum conſilium non putavit. Rex, accepto libello, poſtulatis reſpondit, modo vera eſsent, quæ dicerentur, ſeſe libenter ſorori matris ſatisfacturum. Interim eunucho cuidam negotium in rem inquirendi, &, quæ comperiſset, ad ſe referendi dedit. Lectis, expenſiſque actis, eunuchus inſtructam regi fraudem retulit, atque in cauſsa fuit, cur mulier non ſolum nihil eorum, quæ peteret, impetraret, ſed etiam rubore ſuffunderetur. Eodem anno *confeſſiones* a Gilio auditæ MDCCXI., baptiſmo initiati mares, feminæque LIV., extremoque chriſmate uncti LII. fuerunt. Poſtremo anni tempore, cum ortæ inter cuſtodes diſsenſiones, contentioneſque eſſent, plus menſe Gilium in carcere clauſum detinuerunt.

Giliusadjudices adducitur. Tahytinchus, Rotariū proterit. Judices ex Gilio, quis eum cōprehenderit, quærūt; mulctamq; ei moleſtiam exhibent. Sed Gi-

XXVI. Ad v. non. martias anno MDCCXLIII. cum Franciſcus adductus ſextum in judicium eſſet, ſeque a Præſide vocatum arbitraretur, ut de contentionibus cuſtodum diceret, paullo ante, quam ad patres adiret, a ſcriba ſenatus dictum ſibi eum eſſe diem intellexit, ut cujus primum opera in poteſtatem militum veniſſet,

set, confiteretur. Hæc nuncianti importune agere judices respondit, qui se toties de iisdem rebus interrogarent, de quibus nihil deinceps dicere constituisset. Se namque ob religionem vinctum, de religione sæpe, si vellent, de auctore autem pœnarum, quas libentissime penderet, numquam dicturum. Scriba, qui frustra ab se tempus inquirendo teri animadverterat, de signis esse christianorum quærendum existimavit. Quamobrem rogavit, ullum ne religionis indicium secum adveniens attulisset. Gilius visum ab eo fuisse arbitratus, quod collo circumpositum ferret, neque satis caute occultasset, *Rosarium* (hoc enim nomine appellamus globulorum minorum CL. seriem, majorum XV., qui omnes pertusi cum sint, trajecto filo, itaut decimis quibusque minoribus singuli majores inserantur, serti quoddam genus efficiunt) præter hoc aliud se signum habere nullum respondit. Hoc accepto responso, scriba discedit, moxque ad judices ingressus, de *Rosario* proponit. Senatores rem certius cognituri Franciscum introduci jubent. Ille, cui datæ instituendæ quæstionis, dijudicandæque causæ partes erant, ostendi sibi ab Gilio *Rosarium* postulat. Franciscus, qui fore, quod accidit, ne suspicaretur quidem, quærit ex judice, num illud continuo se restituturum pollicea-

lius de ea re nihil respondet.

tur, ac *Rosarium* annuenti tradit. Judex amuleta ænea duo *Rosario* appensa cernens, ecquid ea sint, percuntatur. Ubi impressas amuletis imagines martyrum duorum cognoscit, nostrum, eas ut pedibus conculcet, hortatur. Recusantem, cogi oportere non censet. Aderat Thaytinchus. Huic, quem esse ad quidlibet contra christianos audendum paratum videt, ad se ut accedat, arreptumque *Rosarium* in terram projiciat, proteratque simul amuleta, jubet. Gilius, quod sacrificulo ad sacrilegum facinus a nefario, impioque judice *Rosarium* porrigi videret, conandum sibi esse, ut illud e manibus ethnicorum hominum extorqueat, arbitratur. Itaque commodum adpropinquat. Deprehenso viri consilio, senatores eum, ut absistat, sibique caveat, jubent. Nolentem obsequi milites vi per crines arreptum retrahunt, sicque retentum, quæ ab impiis in sacras imagines perpetrentur, intueri cogunt. Has ille conspui, proterique indigne ferens, injurias religioni christianorum illatas causam esse clamat incommodorum, quibus respublica premeretur. Jam finem ethnici faciunt contumeliarum. Imperant Gilio judices, ut genua flectere nec cunctetur. Fit, quod jubent. Quæritur ex custodibus, ecquis ei alimenta in carcerem apportet. Illi ab anu sæpe, interdum

dum vero ab adoleſcentulis duabus, afferri confirmant. Reprehenduntur. Capi eas oportuiſſe decernitur. Negant cuſtodes id ſibi umquam fuiſſe imperatum. Quod ſi tunc judices præciperent, imperata ſe continuo facturos, pollicentur. Hæc judex ſerio ab ſe dicta negat. Nam ſi captæ mulieres fuiſſent, Europæum fuiſſe fame in carcere periturum. Inde ſe ad Franciſcum convertit. Percuntatur, quis conſilii mittendorum militum, ejuſque comprehendendi princeps fuerit. Tacentem minis perterre facere conatur. Denique, ubi fortiter hominem in ſententia manere, acerbiſſimoſque cruciatus perpeti malle, quam efferre, quæ ſibi initio acciderant adverſa, videt, torqueri imagines imperat. Quod ut noſter audivit: ne puta, inquit, o judex, affici ſenſu doloris iconas poſſe. Non enim tam hebetes, tamque inepti ſumus, ut æs, ebur, lapidem aut lædi contumelia, aut cruciari malleorum ictibus arbitremur. Verum hoc tibi perſuadeas vehementer velim, obtinere eum, quem imago exhibeat, ulciſcendæ injuriæ, ſumendique de te ipſo ſupplicii poteſtatem. Irritatus his verbis judex, conviciis Gilium exagitat, ac ſi male ſenatori, qui partes in judicio primas teneat, precatus eſſet. Sed Franciſcus non eo ſe animo locutum reſpondet, quo male cuiquam precari vellet,

sed quo ab omnibus id, quod res erat, intelligeretur. Post id factum dimissus Gilius in carcerem ab custode reducitur.

Matthæus Leziniana ab ethnicis comprehenditur, & gravissime cæditur, militibusque in custodiâ trãsditur. Christiani, ingenti numerata pecunia, ut ille dimittatur, rogant. Sed frustra sunt horum conatus. Itaque Leziniana ad supremum magistratum mittitur.

XXVII. Jam capto apud Luc-thuyenses ab hostibus, ita ut ante docuimus, Gilio, Pro-Præfectus provinciæ Tunquinensium Dominicanorum christianos in fide confirmaturus Matthæum Alonsum Lezinianam Luc-thuyum miserat. Cum is nihil ab incolis sibi metuendum arbitraretur, quorum egregiam in se voluntatem perspexerat, ethnicus quidam summæ homo improbitatis, & audaciæ, qui, ut sustentare pauperiem posset, ludimagister in proximo vico erat, cumque pueris christianorum in Alonsi domum interdum venerat, omnesque ædium aditus, recessus, exitusque cognoverat, ad exercitum proficiscitur, ac duci, qui adversus majestatis reos missus cum imperio in provinciam fuerat, persuadet, si milites sibi subsidio dederit, Europæum, qui Luc-thuyenses deciperet, in regis potestatem venturum. Dux, qui comprehenso Leziniana magnum se lucrum, prædamque facturum putaret, naves parari, iisque armatos milites imponi, & Luc-thuyum, cum visum ludimagistro opportunum esset, deduci jubet. His paratis rebus, cum Luc-thuyenses christianos oryzæ metendæ causa in agris versari sciret, ludimagister secunda fere vigilia solvit, ac prima

luce

luce IV. kal. decembres Luc-thuyum pervenit, quo tempore Leziniana rem divinam facere consueverat. Is pane, vinoque consecratis, quod ex strepitu, ac tumultu ad se ire milites, remque esse in extremum casum deductam cerneret, repentino periculo perturbatus, implicatusque, calicis oblivisciturr, ablatoque Christi Servatoris Corpore, in locum proximum coquinæ perfugiens, vescitur. Interim effractis foribus, in domum milites irrumpunt, atque huc illuc concursantes, ubi ad sacellum venerunt, inventum in calice sanguinem effundunt. Alonsus, qui obsistendum temere non putaret, spemque evadendi omnem in celeritate positam arbitraretur, descendit, & qua fors primum obtulit, erumpens, circumspicit quæ sit opportunior fugæ capessendæ via. Erat prope domum piscina. Hanc si transnasset, facile se aut locum, in quem se abderet, reperturum, aut ad vicum aliquem christianorum, in quo tuto consisteret, perventurum censet. Quo capto consilio, sacras vestes, quibus erat indutus, deponit. Ea re cognita ludimagister accurrit, adortusque hominem, per crines arreptum in atrium reducit. Convocati deinde milites, omnes Alonsum circumsistunt, eumque, solis femoralibus relictis, vestibus, quas rabie incitati discinderant, indusioque ipso expoliatum verberibus crude-

crudeliſſime cædunt, eique tam graviter caput feriunt, ut inde magna copia ſanguis effluat. Poſt per hortum, aquoſoſque campos pertractum crinibus, atque in propinquum vicum deductum, uvida, laceraque veſte, quam ludimagiſter dediſſet, induunt, & navarcho, qui navi imponat, deferatque ad ducem, tranſdunt. Navarchus commiſeratione viri permotus, adfer i ſibi medicamenta, eidemque, ut ſanguis cohibeatur, applicari jubet. His paratis, applicatiſque rebus, arundinum, quæ permagnæ eſse in ea regione ſolent, partibus veluti torquem conficit, quem torquem ab incolis *goum* appellatum Alonſo, ac ſi reus ſceleris fuiſset, in collum imponit, atque ad ducem, qui tunc apud Pro Præfectum provinciæ in caſtris erat, deducit. Dux, qui Lezinianam ob verbera, quibus cæſus fuerat, cum in manus militum veniſſet, dolore lateris premi intellexit, ſolvi eum continuo, militibuſque in cuſtodiam tradi imperavit. Cum his cuſtodiis Alonſus aſſervaretur, dux ſimulatione officii extorquere ſeſe ab chriſtianis pecuniam poſſe ſperans, ei, quem ad ſe interdum adduci fecerat, multis ſignificationibus oſtendit, curaturum ſe, ut ei libertas ad ſuos revertendi detur. Id ut homini perſuadeat, fabrum lignarium ſenem, quem milites chriſtianum in ædibus Alonſi re-

per-

pertum, vinctumque ad exercitum deve-
xerant, dimittit. Circuitis una cum Le-
ziniana, ejusque famulo christianorum
vicis, confirmat animos Luc-thuyensium:
pollicetur sibi eorum salutem curæ futu-
ram. At Luc-thuyenses, qui mores eth-
nicorum cognitos haberent, timerentque,
ne ducis simulatione, atque perfidia cir-
cumvenirentur, vocati in castra, veniun-
dum non arbitrantur. Itaque alios e fini-
timis oppidis christianos mittunt, qui re-
stitui Alonsum, sibique ignosci petant.
Accepta horum oratione, dux comiter,
daturum se operam, ut ne Luc-thuyenses
in salutis, fortunarumque periculum ve-
niant, respondet. Postulat sibi, ut argen-
teos nummos, quos Tunquinenses *tacleos*
vocant, ducentos septuaginta numerent.
Hac pecunia redimi Lezinianam, veniam-
que christianis impetrari posse. Ea spe
adducti nostri, quod ille petiisset, argen-
tum deferunt. Dux auctus pecunia, fidem
fallit, ac prid. idus decembres, qui dies
quartus, ac decimus a capto Leziniana
fuit, arcte eum in custodiis teneri jubet.
Vereri se multitudinem christianorum
ostendit. Hos, qui navibus venerint, vi
forsitan erepturos, quem ipsius voluntate
libere reducere nequirent. Interdicit,
atque imperat militibus, ne cui nostrum
ad custodiam aditum patere, & cum eo
colloqui sinant. Inde multa jam nocte
nervo

nervo Alonſum conſtringit, navique una cum famulo impoſitum in regni metropolim ad ſupremum magiſtratum mittit. Leziniana quamdiu apud ducem manſit, non moderate ſolum, atque alacriter injurias ſibi ab hoſtibus illatas, verbera, atque nervum tulit, ſed etiam quærentibus quem ſe eſse profiteretur, incredibili animi conſtantia, fortitudineque reſpondit, chriſtianum ſe, ac magiſtrum eſse, inſtitutoremque Tunquinenſium chriſtianorum. Quo etiam tempore illud quoque boni eidem divinitus conceſsum ferunt. Nam cum multis, gravibuſque infirmitatibus corporis conflictaretur, ubi in hoſtium venit poteſtatem, ita ſanatus repente eſt, ut ad mortem uſque incommodum valetudinis ſentiret nullum.

Gilius de cõprehenſo ab ethnicis Matthæo cognoſcit; magnoque dolore afficitur.

XXVIII. Interea Gilius, qui nuncium de capto iiſdem in ædibus Leziniana, in quibus ipſe ante annos fere ſeptem comprehenſus fuiſſet, acceperat, magno dolore afficiebatur, propterea quod proſpiceret, niſi hoſtes ab injuria ſibi, & maleficio temperaſſent, plebem chriſtianorum diſſidiis, contentionibuſque in æternæ ſalutis periculum venturam. Sed res aliter, atque ille putaverat, evenit. Nam ita divini numinis beneficio conſtituta omnia, atque compoſita fuerunt, ut nihil detrimenti chriſtiani caperent.

XXIX. Sed

XXIX. Sed Alonſum in regiam urbem XII. kal. januarias delatum milites Prætori tradiderunt. Prætor cauſſam cognoturus, quamobrem ille vinctus, inque judicium adductus eſſet, & quo tempore in Tunquinum veniſſet, quæſivit. Ubi annum eſſe ex quo propagandæ religionis cauſſa venerat duodecimum intellexit, quem ea religio coli præcipiat, ſciſcitatur. Ad hæc Leziniana, unum modo eſſe reſpondit cæli, terræque conditorem, atque parentem Deum. Ei ſoli legibus chriſtianorum cultum, honoreſque divinos adhiberi oportere. Tum Prætor, cum cautum, inquit, ab rege ſit, ne quis Europæorum hoc genus religionis in Tunquinum inferre audeat, quid fuit, cauſſæ, cur tanto tuo periculo huc tibi veniundum arbitarere? Sed Alonſus, novi, inquit, quæ ſint ab rege decreta contra chriſtianorum legem. Quare clam hortari, idque jam noctu, mortales conſueveram, ut veritatem cognoſcerent, vitium fugerent, unamque virtutem confectarentur. Mox juſſus, decem decalogi præcepta numerat. His, aliiſque rebus, quæ minoris momenti eſſent, breviter explicatis, in catenas conjicitur. Vinculis, majoribuſque compedibus conſtrictum milites in carcerem deducunt. Cum in eas anguſtias redactus eſſet, tametſi improbitate cuſto-

Prima de Matthæo quæſtio habetur. Ipſe multa interrogatus, de omnibus reſpondet: tum in carcerem concluditur.

cuſtodum abſtinere ſe cibo, potu, ſomnoque interdum cogeretur, nihilo ſecius lætus, atque alacer omnia perferebat, Deumque O. M. aſſiduis precibus orabat, ſibi ut majores ſpiritus adderet, quibus pro religione certare, ac profuſo ſanguine vincere tyrannum, hoſtemque generis humani poſſet.

Matthæus in judicium vocatus præclare de religione diſſerit; ac de ſeipſo præterea, deque Hiſpanorum rebus magiſtratui interroganti demonſtrat. Chriſtianus Luc-thuyenſis quidam, qui ſe hoſpitio Matthæú excepiſſe diceret, comprehenditur; ſed nihil in eum gravius decernitur.

XXX. Inde cum ſæpe, ac multum in judicium vocatus eſſet, ex eoque judices de iis, quæ ad rem non pertinebant, quæſiſſent, tanta vi, tantaque gravitate orationis reſpondit, ut eloquentiam deſiderare nemo, admirari autem omnes ſummam hominis conſtantiam, præſtantiamque virtutis poſſent. Bis publice religionis cauſſam defendit. Quo tempore tam dilucide, tamque impavide de Deo, deque Servatore generis humani dixit, ut facile ethnici intelligerent, chriſtianum occidi quidem ab inimicis poſſe, terreri autem ſupplicio, vincique ratione non poſſe. Nam prid. nonas decembres, qui eo anno magni ſabbati dies fuit, cum ſe in judicio ſiſtere juſſus eſſet, & ſcriba ſenatus ex arca, quam ei milites per vim abſtulerant, libros, veſtes ſacras, imagineſque extraxiſſet, in quibus icones duæ cruci affixi Chriſti Servatoris erant, inquiſiſſetque judex, ecquis ille paſſis manibus homo eſſet, reſpondit: quas cerneret, eas Jeſu Chriſti

ſti iconas eſſe, qui Filius Dei verus cum ſit, e cælo in terram deſcenderit, ſibique humanam naturam conjunxerit, actuſque in crucem fuerit, ut genus hominum, quod in hoſtium veniſſet poteſtatem, ſua morte redimeret. A Deo namque primum omnium parentem Adamum fuiſſe conditum. Hunc, qui graviter in conditorem peccaſſet, non potuiſſe cumulate de injuria ſatisfacere. Neque enim tantam ineſſe homini virtutem, ut cum natura, viribuſque finitis ſit, purgare crimen, ſummamque injuriam ſummo Deo illatam poſſit. Quare, ut plene divino numini ſatisfieret, junxiſſe ſibi humanam naturam Filium Dei Patris Verbum. Inde Chriſtum Deum, atque hominem ex Virgine ortum cruci affixum deceſſiſſe, atque e mortuis excitatum, migraſſe in cælum, perpetuoque rerum omnium imperio potiri. His explicatis rebus, quod plebs ad ſenatum ejus videndi cauſſa concurriſſet, ac ſtrepitus, clamoreſque ejuſmodi orirentur, ut, qui in judicio aderant, quæ a fortiſſimo viro dicebantur, percipere nequirent, incœptum de veritate religionis ſermonem intermittere cogitur. Sedato paullulum ſtrepitu, cum ſenatores veſtes ſacras, libroſque contemplarentur, unuſque aliquis ex Alonſo percunctatus eſſet, qui ceteris iconibus viri, mu-

mulieresque exhiberentur, egregie, cujus quæque imago esset, exposuit. Jam finem libros, vestesque sacras contemplandi judices fecerant, cum in medium adductum Lezinianam, qui vocaretur, & quo primum tempore in Tunquinum veniisset, interrogarunt. Ubi ille Matthæum se appellari, annumque jam excurrisse duodecimum, ex quo venerat, religionemque christianam docere incolas cœperat, dixit, ritualem ei Romanæ Ecclesiæ librum, ut legat, porrigunt. Versibus duobus, tribusve perlectis, de regno, in quo natus ipse fuisset, de magistratibus, deque iis, qui christianis partibus studerent, inquirunt. Ad hæc Leziniana paucis respondit: ortum fuisse in Hispania se. Esse in eo regno, qui magistratum gerant, permultos. Regem summum imperium obtinere, inque suos vitæ, necisque habere potestatem. Ab his omnibus christianam coli religionem. Inveniri marium, feminarum, senum, anuum, juvenum, qui hujusce religionis doctrina institui, legibusque parere recusset, neminem. His acceptis responsis, judices sese ad Matthæi famulum convertunt. Huic nomen Quy, Ignatius prænomen erat. Itaque ab eo de loco, in quo ipse, atque magister capti fuerant, petunt. Jam inter christianos convenerat, ut, si quisquam eorum vo-

catus

catus in judicium, rogatusque fuisset, quibus in ædibus milites deprehensum Lezinianam vinxissent, in domo civis cujusdam Luc-thuyensis diceret, eumque nominaret. Nam is civis, christianus cum esset, oppidanis se civitatem liberaturum promiserat, judicibusque, qui sisti eum imperavissent, suas Alonso ædes patuisse intrepide responsurum. Quod si capitis condemnatus esset, hoc se felicem imprimis existimaturum, quo suo supplicio servatos cives, seque beatum perpetuo futurum confideret. Sed hanc sibi gratiam referri velle: quidquid pecuniarum vel redimendi, vel alendi, vestiendique sui causa ethnici postulassent; propterea quod angustæ sibi res essent domi, hoc totum civitas solvere ne gravaretur. Erant hæc Lezinianæ famulo explorata. Quamobrem interrogatus, de cive Luc-thuyensi, ita ut convenerat, loquitur. Nam ædes ipsæ illius ante civis fuisse dicebantur, quam attributæ Dominicanis essent. Itaque civis continuo reus agitur. Accitus ab judicibus, adest. Christianum se, parentibusque christianis ortum esse confitetur. Quo tempore Luc-thuyenses in agros messis causa descenderant, Matthæum in ipsius domo deprehensum ab hostibus venisse in ducis exercitus potestatem docet. Sed corrupti ab oppidanis pecunia judices ni-

hil in civem gravius ſtatuerunt. His actis rebus, Leziniana cum miniſtro Ignatio Quy dimittitur. Scriba, evocatis cuſtodibus, imperat, ut poſtero die utrumque in ſenatum reducant. Hortatur deinde Ignatium, ut ſibi caveat. Nam ſi mentiri pergat, ſciat ſe verberibus crudeliſſime lacerandum. Poſtridie ejus diei etſi cuſtodes, quod juſſi fuerant, fecerunt, tamen quod judices magnis, aſſiduiſque imbribus impedirentur, quominus habere ſenatum poſſent, commutato conſilio, diem judicio ex eo die ſextum, ac decimum conſtituerunt.

Renovata quæſtione, rogatus Matthæus, ut crucem percutiat, judices vehementer reprehendit: mox ex concilio dimittitur. De Ignatio Matthæi famulo quæſtio habetur; iſque ſe fortiter, ac ſtrenue gerit.

XXXI. Igitur XI. kal. majas clauſis foribus quæſtio eſt inſtituta. Principio judices delineari in terra crucem fecerunt; cumque ex Matthæo quæſiſſent, id ne ſignum fuſte percutere auderet, ille plurimum apud ſe valere ſenatus auctoritatem reſpondit; ſed chriſtiano viro, imprimiſque ſacerdoti, qui ceteros inſtituturus, longum, plenumque periculorum iter ſuſceperat, tam gravi, tamque deteſtabili ſcelere conſtringi, nefas eſſe, ut injuriam Chriſto Servatori faceret. Nam cur eam religionem ethnici delere conarentur, quæ vera, quæ recta, quæ ſancta ſit, quæ fugiendum vitium, quæ colendum præcipue Deum, quæ magiſtratibus, niſi quid contra jus, rationemque præcipiant, obtemperandum, quæ

deni-

denique parentibus pietatem præſtandam, propterea quod maximæ ab his omnibus utilitates hominibus afferantur, docet? Hoc reſponſo dato, ex concilio, juſſu ſenatorum, egreditur. Unus intus remanet Ignatius. Is, inſtituta quæſtione, quæ ad horas fere duas producta eſt, de *Catechiſtis* quatuor, qui auxilio eſſe Matthæo ſolerent, interrogatur. Eſt *Catechiſtarum* viro apoſtolico maximus in regionibus barbarorum uſus. Ab iis enim quotquot ſacerdotis oratione, atque opera Chriſto ſeſe conciliare inſtituerunt, præcipua decreta religionis, quæque ſcitu, actuque neceſſaria chriſtianis hominibus eſſe liquet, explicantur. Quæ res laborem minuit ſacerdotum. Igitur Ignatius ab judicibus de *Catechiſtis* rogatus, fatetur. Sed eorum nomina reticet. Alia comminiſcitur. Eorum patriam ſibi eſſe ignotam dicit. Negat ſe de loco, in quo verſentur, dicturum. Quare, ut patefaciat, viminibus aſperrime cæditur. At ille ſibi mortem eſſe ſatius perpeti, quam nocere cuiquam, cenſet. Ubi finem cædendi hominis lictor fecit, ſuſcepturum ſe judex fuiſſe ex illius miſeria dolorem confirmat, ni crucis imagini fuſtem impingere recuſaſſet. Ignatius libere, atque audacter, nunquam ſe tam immane flagitium admiſſurum clamat. Inde percuntanti judici, quid tandem religio

christiana præciperet, quemque Deum christiani coli oportere arbitrarentur, eadem, atque Leziniana, de Deo, de magistratibus, deque pietate in parentes persequitur. Exponit breviter decalogum. Addit plura de damnis ab Adamo in mortalium vitam illatis, deque Christo Servatore, qui salutem attulerit, præmonstraritque generi hominum & vitii declinandi, & virtutis colendæ viam. Ne mirentur judices, si eum interfectum supplicio crucis fuisse intelligant. Gentem Judæorum sceleribus, flagitiisque contaminatissimam, tacentem, justum, piumque virum æquo animo fortasse, redarguentem autem, pœnamque minitantem, qui virtutem coleret, vitiumque aversaretur, nullo prorsus modo ferre potuisse. His cognitis rebus, quod pro explorato haberet judex, Ignatium ab religione non discessurum, mittit quæ ad leges spectarent christianorum. Quærit, ulline nostrum societate, ac fœdere adjuncti conjuratis essent. Demonstrat lectum Dei nomen fuisse in tabulis, in quibus nomina erant scripta conjuratorum. Cœptam defectionem ab iis, qui essent finitimi Luc-thuyensibus, apud quos ipsum, ac Lezinianam fuisse deprehensos constaret. Quamobrem cum in suspicionem sceleris vocaretur, diceret, num is, quo magistro utebatur, per-

perduellibus consensisset. Si de hoc negaret, de magistris saltem ceteris, quos religionis propagandæ caussa Luc-thuyum venisse ab duce militum senatus acceperat, confiteretur. Ad hæc Ignatius, neque auxilio Matthæum cuiquam conjuratorum fuisse, neque consensisse, respondet. Hunc enim, ubi hostes ab rege deficere cœperunt, metu perterrefactum, Nam-canum, ut sibi consuleret, profugisse. Ignorare se, quæ dux militum ad senatum de magistris christianorum reliquis scripserat. Nam præter Lezinianam, sibi alium esse cognitum omnino nullum. Quod si mentior, inquit, ac brevi aliquem eorum in judicium adductum videam, pœnam capitis ob mendacium libenter pendam. His intellectis, mutant judices consilium. Redeunt ad quæstionem de oppido, deque ædibus, in quibus captus Alonsus fuerat. Eadem, quæ ante, responsa ferunt. Implicati missa hæc faciunt. Audire se de conventibus velle dicunt. Rogant, frequentes ne disciplinæ caussa ab Leziniana haberentur domi. Ignatium, semel, atque id quidem noctu iisdem in ædibus conventum a viginti circiter viris, mulieribusque actum fuisse affirmantem coarguunt. Nisi enim ei rei constituta hæc erat, quam domum haberet Matthæus ad instituendos christianos re-

liquam? Ut nullas certas fuisse Leziniaæ sedes, sed eum ubicumque fors obtulisset, docere christianos consuesse intelligunt, quiescendum paullisper putant.

Matthæus rursum ad senatum adducitur; deque multis rebus interrogatur.

XXXII. Relatis a scriba senatus in tabulas, quæ ultro, citroque dicta fuerant, introduci Matthæum judices imperarunt; cumque ex eo sciscitati essent, usquam ne Thay-hitium vidisset (nam Ignatius *Catechistarum*, qui Matthæo auxilio essent, unum appellari confirmarat hoc nomine) eum, propterea quod negasset, graviter accusarunt. Mirari se vehementer dixerunt, quid esset, quod cum lege christianorum fas esse mentiri nemini statueretur, ipse se implicare mendacio auderet. Atque esse sibi compertum, & cognitum, Thay-hitium eorum aliquem vocari, qui cum eo navi in metropolim advenissent. At Leziniana, ego, inquit, quos Christo conciliavi, eo uno, quod ipsis in baptismo imposui, voco nomine; cetera non curo, quæ norim esse propria ethnicorum. Nam sic habetote; video enim vos scire de baptismo cupere: septem esse a Christo mysteria instituta, quæ Latina Ecclesia merito *Sacramenta* vocat. In his primum esse baptismum. Servatorem eumdem Jesum, ut saluti generis humani consuleret, auditoribus suis, quibus indiderat appellationem *Apostolorum*, jussisse,

ſiſſe, univerſum orbem ut peragrarent, docerent mortales, qui ſe noſtra diſciplina inſtitui paterentur, eoſque myſteriis initiarent. Exactis Apoſtolis, Sacerdotes eorum exemplum imitatos, id maxime eniti, ac laborare, ut doctrina, ſacriſque chriſtianorum imbuant nationes, quæ in rerum divinarum ignoratione verſantur. Sed judex nihil hæc moratus, de loco rurſum, in quo noſter annis duodecim conſtitiſſet, interrogavit. Cum Matthæus nullum ſibi ſtabilem locum umquam fuiſſe dixiſſet, tum ille, Luc-thuyenſis ne civis, inquit, cujus te in ædibus captum ferunt, quemque Ignatius appellari Thay-hitium affirmavit, legibus ethnicorum paret, an chriſtianorum? Ajentem Lezinianam, ut eorum patriam indicaret, qui navi ſecum in metropolim veniſſent, hortatus eſt. Negantem ſeſe indicaturum, propterea quod eſſe detrimento cuiquam nollet, commonefecit, ut ſaltem, ubinam ipſe gentium verſaretur, cum oriri turbæ, ſeditioneſque in vicis Luc-thuyo finitimis cœperunt, libere confiteretur. Ubi noſter in navim ſe profugiſſe, Namchanumque vectum, ibi aliquandiu degiſſe, dixit, fuerunt continuo, qui ex eo percuntarentur, verane prædicarent hi, qui chriſtianos viros, mulieresque una in conventu cubare de-

fenderent? His Matthæus paucis satisfecit. Veterem hanc esse demonstravit ethnicorum calumniam. Nostros, ut virtutibus ceteris, ita castitatis laude excellere conari. Quamobrem de aliis rebus senator quæreret. His acceptis responsis, judex accusationem proponit de veneficii crimine. Ea depulsa accusatione ab Leziniana, qui non veneficiis, sed vi veritatis adduci homines ad religionis christianæ cultum ostenderat, pergit senator, ac multisne libris instituendorum suorum caussa nostri uterentur, rogat. Cui Matthæus, multos esse tunquinice libros, multos etiam sinice perscriptos, respondet, atque sic se recipere judicibus confirmat: eum, qui aliquos legere non gravetur, ab inferenda religioni injuria temperaturum. Scisciatur inde ex eo senator, uxorne eidem sit ulla, quo ex regno sit, quæ sint vicinæ suis popularibus nationes, num apud eas ulla diis templa exstruantur, quam denique omnes observent religionem. Noster, neque duxisse umquam se, neque ducere uxorem velle, respondet. Sacerdos enim, atque ex Ordine quidem Monachorum cum sit, suam se obstrinxisse Deo rerum omnium auctori fidem, pauperem, castumque sese perpetuo futurum. Natum se in regno esse Hispaniarum. Hispanos, Lusitanos, Gallos, Germanos, Venetos,

Ita-

Italos denique omnes, quorum omnis eſſet in Europa ditio, chriſtianis inſtitutis, ac legibus teneri. Deorum templa nulla apud eos reperiri, qui unum eſſe rerum conditorem Deum contenderent. His datis reſponſis, omnes ad unum judices Matthæo, ut regnorum, quæ numeraverat, nomina, Ignatio vero, ut preces, quas Deo adhibere chriſtiani ſolent, deſcriberet, & poſtero die ad ſenatum referret, imperarunt.

XXXIII. Alonſus, Ignatiuſque dimiſſi, atque in carcerem reducti, curandum omni ſtudio putant, ut ab ſe nihil eorum, quæ noſſe judices averent, prætermiſſum eſſe videatur. Itaque nomina regnorum, quæ Lezinianæ ſuccurrerant, *orationem*, quam traditam ab Chriſto *Dominicam* dicimus, *Angelicam ſalutationem*, *ſymbolum Apoſtolorum*, *decalogum* litteris mandant. Quæ *miſericordiæ opera*, quæ *beatitudines*, quæ *ſeptem vitia capitalia*, quæ his contrariæ *virtutes ſeptem*, qui *actus contritionis*, quæ *litaniæ ſanctorum* a noſtris appellentur, deſcribunt. Animadvertunt nullam fere in orbe terrarum regionem eſſe, in qua uni Deo chriſtianorum ritu cultus, honores, preces non adhibeantur. Poſtridie ad judices reverſi, factos ab ſe rerum earum commentarios ſcribæ tradunt, inauditique dimittuntur. Hos commentarios ju-

Matthæus, & Ignatius de iis rebus, quas fuerant interrogati, imprimiſque de religione commentarios deſcribunt, & ſcribæ ſenatus tradunt. Supremus magiſtratus in Matthæum pœnam capitis decernit: Ignatium ad elephantorſi curam damnat: res, quæ ad religionē pertinēt, cremari; virumque ethnicū, qui illos comprehenderat, præmiis ornari jubet.

dex

dex a ſcriba acceptos legit, lectoſque, ut eſt etiam apud Tunquinenſes in uſu, eidem reſtituit. Paucis poſt diebus ferri omnium fama cœpit, Lezinianam inferioris ordinis judicum ſententia in exilium eſſe pellendum. Sed ea ſententia a ſupremo regni magiſtratu rejecta, ſenatus conſultum ejuſmodi deſcriptum eſt. Matthæum, quem impiæ, maleficæque ſuperſtitionis magiſtrum eſſe; annos tredecim Luc-thuyenſes mendaciis, fucis, dolis circumveniſſe; imagines in regnum importaſſe, liquet; gladio percuti: Ignatium Quy Matthæi auditorem Giahy in Tuyano natum, ad elephantorum curam damnari: veſtes, icones, libros, reſque ſacras chriſtianorum ceteras cremari; Le-Phoungum Ducem, qui ſuperſtitioſum comprehenderit, vinxerit, regique tranſdiderit, ornari præmio, ſenatus jubet. Fuerunt deinde qui perfectum jactarent induſtria viri cujuſdam ex ordine ſenatorio, qui ſe bene eſse in Lezinianam animatum diceret, ut judices ſententiam mutarent, noſtrumque in carcere perpetuo aſervandum decernerent. Sed rei exitus verba ab ſimulatore fuiſse chriſtianis data demonſtravit.

Matthæus in eum carcerē, in quo Gilius manebat, contruditur. Inde in proxi-

XXXIV. Menſe majo cuſtodes carceris, quo Gilius detinebatur, cum Matthæum capitis judicum ſententia fuiſse condemnatum intellexiſsent, ſcribam adeunt,

adeunt, eique, quibus pollicitationibus posſunt, perſuadent, ut ab ſenatu hunc item alterum Europæorum ſibi in cuſtodiam tradi impetret. Etſi qui necandi eſsent, duci in eum carcerem conſueverant, tamen non juris tuendi cauſsa, ſed ſpe lucri cuſtodes ad id petendum commovebantur. Ea re impetrata, III. kalend. junias Matthæum catenis ſolutum cuſtodes in domum carceri proximam, in qua degere Gilius ſolebat, adducunt. Quod tum gaudium, quæ ſignificationes amoris, quæ lacrimæ fuerint virorum, qui rati one inſtituti fratres, qui ſocii laborum, qui amicitiæ lege conjuncti tamdiu fuiſſent, quique ſe una martyres futuros confiderent, difficile eſt exiſtimare. Inde vero, ut iiſdem in ædibus una manerent, remque divinam cum vellent facerent, opemque chriſtianis afferre poſſent, inter eos militeſque de duplicanda pecunia, quam noſtri quoque menſe pro uno Gilio ſolverent, convenit. Poſtero die, qui Divinæ Trinitati dicatus erat, præſente Matthæo, Gilius, quintoque poſt die Chriſti Servatoris Corpori ſacro, cum CL. chriſtiani adveniſſent, ſacrum uterque peregit. Expiati ea die *pœnitentiæ*, *euchariſtiæque* myſteriis viri, mulieresque circiter XL. fuerunt. Poſt id tempus, quod jam per cuſtodes liceret, quaque die ſacrificium offerre, precibus divini numinis

mas ædes atrio adeunt, ibique rem divinam faciunt, & chriſtianis ſacra adminiſtrant.

minis opem implorare, libros de pietate erga Deum legere, virtutem omni ſtudio colere, chriſtianis, qui ad eos concurrerent, magno eſſe adjumento conſueverunt. Igitur *baptizati* eo anno a Matthæo mares, feminæque XXXIII., expiati *pœnitentia* DCXX., *extrema unctione* III.

Gilius, & Leziniana ab regis avunculo vocati, libros ei duos de Deo, deque catechumenis afferũt; mox dimittuntur. De eorum cauſſa rurſum cognoſcitur: denique Senatus utrumque capitis condemnat.

XXXV. XIV. kalendas ſextiles in ædes avunculi regis, ipſius rogatu, venerunt, libroſque attulerunt duos, quorum alter de uno rerum omnium conditore Deo ſinice, alter de inſtituendis *Catechumenis* tunquinice perſcriptus erat. Hos ille libros ut accepit, cum elegantem in utroque admiratus eſſet litterarum formam, tum noſtris reſtituit ſinicum, tunquinenſem retinuit. De religione, immemor eorum, quæ Gilio antea confirmarat, paucis dixit, falſam eſſe, quam ethnici ſequerentur; ſed hoc eam chriſtianæ eſse anteponendam, quod ethnica facilis, noſtra difficilis intellectu eſset. Mox utrique, ut *decalogum*, preceſque aliquas chriſtianorum memoriter dicerent, imperavit. Cum illi, quæ juſſi fuerant, feciſsent, quæſivit ex cuſtodibus, num chriſtiani ad carceres interdum, viſendorum magiſtrorum gratia, accedere ſolerent. Cuſtodes, quod hominem in noſtros præ ceteris eſse propenſiorem cognoſsent, annuerunt; Europæoſque in ædibus, quæ proximæ carce-

ribus

ribus eſsent, verſari, atque ad eos ſæpe cives, militeſque, qui chriſtianis partibus ſtuderent, concurrere demonſtrarunt. Menſe auguſto, quod rex comprimi perduelles non poſse, ac cives fame, peſtilentiaque abſumi, ſterilitatemque eſse magnam agrorum, videret, metueretque, ne iniquitate judiciorum quiſquam condemnatus innocens fuiſset, eorumque, qui carceribus detinerentur, cauſsa his tot ærumnis regnum vaſtaretur, redintegrari quæſtiones, inſonteſque liberari, & remitti aliquantiſper nocentibus pœnam juſſit. Inſtituta ab judicibus quæſtione, nihil de Gilio novi. De Matthæo decretum eſt, ut perpetuo carcere detineretur. Rex, qui in viros eodem crimine accuſatos tam eſſe diſcrepantes ſententias latas animadvertit, neutram probavit, oſtenditque, jus, ratumque, quod Senatus ſanxiſſet, habiturum. Senatus, ut exitu tandem rerum compertum eſt, capite utrumque plectendum judicavit.

XXXVI. Anno MDCCXLV. XII. kal. februarias noſtri, qui in proximis carceri ædibus, itaut ſæpe demonſtratum eſt, una morabantur, cum prope meridies inſtaret, certiores ſunt facti, fore, ut inſequenti die ob religionem Franciſcus capite plecteretur. Eo nuncio accepto, Gilius, qui nihil optabat magis, quam ut ſanguinem pro Chriſto funderet, tanta lætitia perfuſus eſt, ut eam animo com-

Gilius proximi ſupplicii nuncio accepto, lætitia perfunditur: contra Leziniana, eamdem in ſe latã eſſe ſententiam ignorãs, magno dolore afficitur.

comprimere non posse videretur. Forte fortuna Ceomanensis Episcopi, qui Vicarius erat Apostolicus regionum, quæ ad occidentem solem pertinent, famulus aderat, qui eo ipso die ad Gilium salutandum venerat. Huic revertenti epistolam ad Episcopum in hanc sententiam scriptam committit: Sciret, se die insequenti capite cæsum iri, qui dies S. Vincentii martyris memoria insignis futurus esset. Id sibi optatissimum evenire. Nam pro defendenda catholica religione æquo se, libentique animo, quod jamdiu expetisset, interiturum. Matthæus contra, qui nullum de se judicium latum arbitrabatur, moleste ferebat, quodque, abeunte jam socio ad martyrium, manendum sibi in vita esse timeret, magno dolore afficiebatur; multisque cum lacrimis factum id sua culpa esse dicebat, quominus sibi etiam mori liceret. Se namque plurimis flagitiis implicatum (nam ita de se demisse humiliterque sentiebat) indignum esse, qui martyrio perfungeretur. Hunc Franciscus consolari, monere, hortari, ut bono animo esset, neque se afflictare pergeret. Nam quod divino consilio accidisset, ut ipse superstes gerere christianorum curam, qui carceribus asservabantur, valeret, utque plura pro Christi nomine perpetiretur, id demum non moleste, sed hilari animo esse ferendum.

Gilius christianos constimulat.

XXXVII. Interea christiani, qui de

Gilii

Gilii ſupplicio ex regis ſcriba cognoverant, ſtatim magno numero in carceres convolarunt. Hi, poſtquam magna vi lacrimarum, fletuque fortiſſimi viri, deque ſe optime meriti acerbum, ut ipſis videbatur, caſum ſunt lamentati, mox illius mortem deprecari ab rege conſtituerunt. Id ut facilius impetraretur, regis avunculum pecunia alliciendum exiſtimarunt. Itaque decem huic argenti pondo, ſi impetraſſet, pollicentur. Ea re Gilius per domeſticos intellecta, graviſſime tulit, hortatuſque per nuncium majorem in modum homines fuit, ut conatu deſiſterent. Nam ſi conari pergerent, magno id nomini chriſtiano dedecori, atque incommodo futurum. Cum enim ſacerdotes inculcare chriſtianis ſoleant, ut quæcumque acciderint adverſa, patienter ferant, caveantque, ne quod divina ſit voluntate factum, id ſibi acerbum putent, abſurdiſſimum eſſe, ſi quod ceteris præſcribunt, id minus ipſi diligenter ſervent. Igitur ne committant, ut eorum opera magiſtri doctrinæ, ac religionis apud ethnicos in mendacii veniant ſuſpicionem. Nam quod in ſe erat decretum ab rege, eventurum numquam fuiſſe, niſi factum Dei voluntate fuiſſet. Hoc nuncio dimiſſo, cum domeſtici cœnaſſent, eis juſſit, ut preces, quas adhibere ante ſolebant, perſolverent, imprimiſque *Roſarium*, quanta maxima

tutum ei ſupplicium pecunia redimere conantes ab incœptis deterret; ſeque ad martyrium fortiter ferendum parat. Leziniana una cũ Gilio interfici ſe vehementer cupit. Itaque e carceribus ambo educuntur; mox Leziniana ſe item capitis eſſe condemnatum cognoſcit.

poſ-

posſent religione, recitarent. Sperare ſe illorum pietate, ut ne efferatur animo, utque omnia ſibi fauſte, feliciter, proſpereque eveniant, divinitus impetraturum. Ipſe cubiculum ingreſsus Deo ſe majorem in modum commendavit. His abſolutis precibus, cum novos, magnoſque ſibi ſpiritus addi ſenſiſset, atque animo confirmatus eſſet, e cubiculo egrediens domeſticos ad virtutem hortatus eſt. Ac videor, inquit, me ipſum videre in eum ſtatum deductum, quo Chriſtus pridie ejus diei fuit, quo die perfidia judæorum eſt interfectus. Itaque quod ille diſcipulis teſtamento reliquit, ut Deum colerent, ejuſque legibus obtemperarent, ſeque mutuo diligerent, iiſdem vos verbis hortor, moneoque, ut operam excolendæ virtuti detis: Nam quod octavum jam annum ſubſidio mihi fuiſtis, maximas vobis, quas poſſum, & ago, & habeo gratias. Plura loqui conantem lacrimæ, quas plurimas effundebat, impediverunt. Ergo in cubiculum reverſus prece ſibi munire inſtituit ad martyrium fortiter perferendum viam. Interea Lezinianam pugnandi pro Chriſto cupidum ea cogitatio ſollicitum tenebat, quemadmodum migrare ipſe quoque una cum Gilio in patriam beatorum poſſet. Diu deliberanti illud ſatis commodum viſum eſt, orare, atque implorare militum fidem, qui Franciſcum ad ſupplicium ducere debebant,

bant, ut ſe etiam eumdem in locum deducere ne gravarentur. Id ſibi, ac Gilio magno ſolatio, majorique levationi futurum ſperabat, ſi morienti adeſſet, eumque, quibus poſſet officiis, juvaret. Accedebat ea cogitatio, ſi in conſpectum judicum veniſſet, de ſe quoque ſupplicium decretum iri. Nam de Chriſto dicturum ſe, judiceſque acriter reprehenſurum, quod cum eadem ambo incauſſa fuiſſent, iniquo judicio alterum interficiendum, alteri parcendum ſtatuiſſent. Ea ſpe incitatus, collegit continuo ſe, & ad martyrium una cum Franciſco parare cœpit. Implorata diuturnis precibus divini numinis ope, multa jam nocte ſeſe mutuo *pœnitentia* expiarunt, deindeque re divina perfecta, actiſque gratiis, *cocolatæ* potione, etſi ei Franciſcus aſſuetus non erat, reficiendas vires corporis judicarunt. Prima luce egreſſi ex ædibus, eos, qui carceribus detinebantur, ut omnibus ſalutem dicerent, adierunt, iiſque, qui rerum inopia premerentur, oryzam diſtribui fecerunt. Poſt ad præfectum ſe carcerum contulerunt, eique gratias, quod ſe humaniſſime habuiſſet, multiſque beneficiis cumulaſſet, egerunt. Quo tempore quum chriſtianus quidam libellum ad Lezinianam detuliſſet, quo libello ab rege petebatur, ut ſalvum eſſe Gilium juberet, huic ille reſpondit: nihil eſſe libellis opus, propterea quod ipſe quæ

ex uſu forent, quæque ſibi divinum numen in animum induxiſset, coram, itaut ab omnibus intelligeretur, dicere decreviſset. Octava diei hora, ad eos milites venerunt, qui Franciſcum deducerent. Hos ubi Matthæus vidit, rogare cuſtodes etiam atque etiam, ut ſe quoque una eodem ire paterentur. Cuſtodes, qui manere utrumque in carcere malebant, veriti, ne, ſi poſtulata feciſsent, id forte accideret, quod evenit, concedendum non putabant. Sed victi precibus, opinioneque multorum, qui paratum a chriſtianis ſupplicem libellum arbitrarentur, quem regi Matthæi nomine traderent, rati rem felicem exitum habituram, ſacerdoteſque ſalvos in carcerem reduci poſse, quod petebat, facile concedunt, inque ſupplicii locum comitantur. Pergebant noſtri ſimul, preceſque jam inſtitutas perſequebantur, ſed alter, quod ſe brevi coronam adepturum ſciret, lætus, atque alacer, alter, quod dubitaret, triſtis, ac mœrens incedebat. Ubi ad Palatium ventum eſt, chriſtianus, cui datum id negotii fuerat, libellum Matthæo porrigit, quem libellum ut noſter in crumenam immiſit, mox certior eſt factus, ſe etiam ipſum regis decreto eſse capitis condemnatum. Quo accepto nuncio Matthæus, re perveſtigata, ſatiſque explorate cognita, incredibile dictu eſt, quantum inde gaudii, lætitiæque acceperit.

XXXVIII. Interim cuſtodes, qui animadverterant, nihil Matthæum de impetranda venia agere, ab eo ſummis precibus poſtulabant, ipſis ut libellum daret, quo, ſublato clamore, negotium curarent, regemque rogatum mitterent, implorarentque, ut illis ignoſceretur. Quibus Matthæus, cum capite, inquit, cæſus fuero, tum demum vobis libelli accipiendi poteſtas erit. Eodem tempore, Gilio, & Leziniana ante palatii fores ſedentibus, preceſque fundentibus, ad eos eunuchus quidam acceſſit, cruceſque exiguas duas in terram per ſummam injuriam projecit. Quas cum noſtri ſuſcepiſſent, veneratique oſculārentur, tum ille eſt homo percunctatus, quid hoc rei eſſet, quod crucibus cultum adhibendum arbitrarentur. Huic Matthæus, Chriſtus, inquit, e cælo in terram adſerturus humanum genus in libertatem deſcendit, cumque affixus cruci mortuus fuerit, conſecrata ita ſanguine illius, morteque crux eſt, ut eam omnes venerari oporteat. Paullo poſt alius ſupervenit eunuchus, qui de lato in Alonſum capitis judicio nunciaret. Is cum ex Matthæo quæſiſſet, loqui ne tunquinice ſciret, atque ille annuens affirmaſſet, tum eunuchus, ſic habeto, inquit: quod alieno ex regno tuam legem in noſtrum importatum veneris, imperare regem, tibi ut etiam abſcindatur caput.

Eunuchus ad martyres designatos accedit, cruceſque duas in terram projicit; tum alter eunuchus Leziniane ſententiâ ab rege in eum latam nunciat.

Qua re audita Leziniana, unum modo respondit: ei se, qui nuncium attulisset, gratias agere. Nam quod divina voluntate statutum esset, hoc se hilari animo laturum.

Gilius, & Leziniana capite diminuuntur.

XXXIX. His dictis rebus, manus militum in locum supplicii progreditur. Sequebatur virorum, & mulierum incredibilis multitudo, imprimisque christianorum, qui miserandum in modum fletu, ac lacrimis magistrorum casum lamentabantur. Ubi perventum ad supplicii locum est, cum nostri humi prostrati Dei sibi auxilium precibus implorarent, apparitores senatus quatuor secuti Matthæum interrogant, quamobrem proscriptam regis edicto christianorum religionem in Tunquinum inferre conatus esset? Ad hæc Leziniana, veniundi eam sibi causam fuisse dicit, ut veram Dei legem latius propagaret, utque Tunquinenses de studio colendæ virtutis, deque rebus ceteris doceret, quæ ad æternam beatamque vitam degendam conducerent. Atqui rex, inquit apparitorum unus, qui legem istam & odit, & deleri præcepit, capite te cœdi jubet. Tu vero timesne mortem? Huic item Matthæus respondit: se, qui ob eam causam plecteretur, felicem, immortalemque vitam in cælo consequuturum. Quare nullo se mortis metu commoveri. Sibi autem persuaderet, eam religionem,

quam

quam Tunquinenſes cives averſarentur, poſtremo tempore, quum jam diſſolvetur mundus, notam omnibus, exploratamque futuram. Quæ cum ille dixiſſet, cuſtodes auctores apparitoribus fuerunt, ne interrogando moleſti hominibus eſſe pergerent, utque illis ſpatium precandi relinquerent. Tum noſtri cum ſe rurſum mutuo *pœnitentia* expiaſſent, vinctiſque brachiis alligati ad palum fuiſſent, ad famulum Jeſuitarum, qui eodem advenerat, quique damnatus & ipſe religionis chriſtianæ cauſſa ad curam elephantorum erat, ſeſe Gilius convertit, eumque obſecrat, ut ſe, ſociumque chriſtianis, qui in civitate verſarentur, commendatum velit, iiſdemque chriſtianis, multoque magis domeſticis, ac mulieri, cujus ipſi domo pro hoſpitio uſi fuerant, gratias agat, curetque præterea, ut ab *Catechiſte* carnificibus argentei nummi DC. ſolvantur. Denique hora poſt meridiem quarta, ſuſpicientibus in cælum noſtris, dato a magiſtratu ſigno, illico capita abſcinduntur. Ea re geſta, magnus continuo chriſtianorum fletus, clamorque ſublatus eſt, unaque omnes voce, *eheu Patres*, *eheu Patres*, lacrimantes, conclamaverunt. Carnifices, milites, magiſtratus, etſi poſt affectos ſupplicio reos abire celeriter conſueverint, quod, cum ſint maxime ſuperſtitioſi, interfectorum animos pertimeſcant,

tamen admiratione christianorum permoti, qui magno impetu ad cadavera sacerdotum accedere conarentur, deque comparanda sibi aut vestium, aut sanguinis, aut capillorum particula laborarent, diutius ibi, quin ullam conantibus molestiam afferrent, substiterunt, raptique novitate rei, en, ajebant, quanto isti in suos patres amore feruntur!

Martyrum corpora Lucthuyú translata a Dominicanis sepelliuntur.

XL. Jam domestici martyrum custodes sibi carcerum pecunia ante adjunxerant, eisque persuaserant, ut capita, cadavera, vestesque curarent. Sed magno christianorum concursu facto, satis diligenter res ipsa administrari non potuit, quin ab christiano Matthæi, ab *sortilego* autem quodam ethnico Francisci caput auferretur. Hunc tamen fugientem christiani insecuti, recuperato capite, utrumque (nam alterum christianus libens reddiderat) ad Petrum Xaverium Tunquinensem sacerdotem S. J., qui martyrum supplicio interfuerat, detulerunt. Die insequenti, qui dies fuit ad x. kal. febr. corporibus, capitibusque in navim opera, diligentiaque Xaverii importatis, christiani, qui eam sibi curam susceperant, celeriter soluunt, & Luc-thuyum proficiscuntur. Eo cum veniissent, advocatis Ludovico Spinosa, & Pio Sanctacrucio Dominicanis, qui inde prope aberant, eis martyrum corpora transdiderunt, a quibus a. d. VII kal.

kal. februarias eodem in loco, in quo ab hoſtibus comprehenſi martyres fuerant, poſt rem divinam magno chriſtianorum, quibus cognita res erat, concurſu factam, honorifice condita fuerunt.

Eadem corpora in templum ex privatis ædibus transferuntur; & ſolemnis ſupplicatio habetur.

XLI. Ejus rei certior factus Petrus Ponſgravius Pro-Præfectus Provinciæ Tunquinenſium Dominicanorum, magnis itineribus Luc-thuyum contendit. Eo ut pervenit, una cum Hilario Coricenſium Epiſcopo, & Laurentio Maria, Auguſtinianis, qui omnes eodem in oppido verſabantur, ſeſe ad ſepulcra martyrum pietatis cauſſa contulit. Hi quum una omnes conveniſſent, ab ejus loci principibus viris rogati, ut ex privatis ædibus, in quibus collocata corpora fuerant, in templum commune transferri, altiuſque recondi paterentur, propterea quod periculum eſſet, ne, ſi forte fortuna de ſepultis domi cadaveribus ethnici, qui proxima loca incolebant, hoſtiſque imprimis acerrimus chriſtianorum Thay-tinchus, cognoſcerent, & ad magiſtratum deferrent, de ea re inquirendum ſtatueretur, chriſtianique in ſummum vitæ, fortunarumque diſcrimen venirent, conſilio probato, rogantibus concedendum, quod peterent, judicarunt, extractiſque corporibus, poſtquam ipſi; & qui aderant chriſtiani eorum pedes oſculati eſſent, & feretra clauſiſſent, ac nomina utriuſque martyris feretris inſcripſiſ-

ſcripſiſſent, magna pompa, magnoque hominum concurſu eadem in templum cadavera aſportaverunt. Solemni facta ſupplicatione, eadem ante aram B. Mariæ Virginis *Roſarii* ſepelierunt, atque ita pavimentum complanatum, reſtitutumque eſt, ut ſepulcri, aut foſſionis veſtigium appareret nullum. Exacto menſe, quum tranquillæ, pacatæque res chriſtianorum eſſe viderentur, etſi multi erant eorum adhuc occupati metu, tamen ſolemnior ſupplicatio decreta eſt. Nam eſſe gratias agendas Deo, qui ſacerdotes duos corona martyrii ornaſſet, intelligebant, ſimulque perſpiciebant magnam ineſſe celebritati ſacrorum vim ad recreandos, confirmandoſque illorum animos, quos nece tantorum virorum nimius terror invaſerat. Ergo prid. kal. martias, cum Ponſgravius, Spinoſa, & Sanctacrucius Dominicani, Auguſtiniani Laurentius, & Hieronymus, Præsbyterique Tunquinenſes duo adeſſent, Epiſcopus Coricenſium, magno chriſtianorum concurſu, apparatu, rituque Epiſcoporum rem divinam fecit. Ea re abſoluta, de laudibus martyrum habita oratio eſt. Denique actis gratiis, dictoque hymno *Te Deum*, finem ſupplicandi fecerunt.

Huc rurſus pertinet proteſtatio, quæ deſcripta eſt pag. 234.

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Bremond, Antoninus

De illustrissimis viris PP. Petro Martyre Sansio et Franc. Senano ... commentarius

Roma 1753

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/Hist.eccl.380
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11092431-8